


Lebret






BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
12
C
49





XAVERIUS PEREGRINUS

A' HIERONYMO BARDI LATRO-THEOLOGO

pede pari, & impari descriptus.



Romæ, Typis Ignatij de Lazeris 1659. *Superiorum permissu.*

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. A. Episcopus Hierapolitanus.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sacri Apost. Palatij Magister.



S. FRANCISCI XAVERII MED. COELEST. IMAG.
Hieronymus Bardi. Medicus V. C. V. S.

SANCTISS.^MO D.^NO NOSTRO.

ALEXANDRO VII.

Pontifici Optimo Maximo.

HIERONYMVS BARDI

perennem felicitatem precatur.



VDACIS esse consilij reor per exiguum hoc Emblematum volumen augustissimo Christiani Orbis Principi destinare. Accedere illud tamèn Vaticanum ad solium non dubitabit, neque Fabij antè Maximi, nunc autem Maximo longe Maioris ALEXANDRI VII. Maiestas poterit retardare, à quo nempè dum non cunctando sed celerando Christianam restituit rem, felicem hanc didicit celeritatem. Audaciæ tantæ, nouæ fit accessio confidentiæ, quam abundè addit Patria Sanctitatis Tuæ Sena Vrbium humanissima, quæ Cor magis

ho-

hoſpitibus, quam portas pandere gloriatur. Qüid ergo ſperare iam deſinat humanitatis, ac ſplendoris à te vno, peregrinationum. S. Franciſci Xauerij hoſpitalis hic liber, quandò tuæ in Sinu Maieſtatis, ac beneficentiæ ampliſſimæ collocatur. Enim vero licet Theologus, & Medicus vti Poetam, quamuis non Cæſar, me tamen Maximi ALEXANDRI ſummis beneficiis, & ſublimioribus gratijs cumulatum Sanctiſſimis pedibus aduolutum cum ſupplici libello ſiſtere audeo; nam hunc ſcribere ſum agreſſus, cum Xauerius Cæleſtis Medicus, graui, periculoſoque morbo laboranti mihi & ſcribendi, & viuendi ſalutarem fecerit poteſtatem. Iam verò vt poſteritati viuat, ac Xauerio liber hic, tuum inſuper patrocinium exoptat, exoratque B. P. ſperans ſe tibi cariſſimum futurum, quia tu Xauerio quam maximè carus.



IN

IN IMAGINEM
SANCTISSIMI PONTIFICIS
ALEXANDRI VII.
affabrè delineatam.

ARGVMENTVM DESVMITVR à Philomathi Musa LXXXV. & à Gentilitio Sidere.

Effigies Veneranda premat quid pectore, constat:
Nempè; Disce PRECOR VIVERE, DISCE MORI.
Haud tamen hoc mirum: Facit id, quod Carminè profert;
Sidus Ei Pharus est, & Cynosura suum.



SVM-

SVMMI PONTIFICIS

ALEXANDRI VII.

Secundissimis repetitis Votis pro Pace conceptis Musa plaudit.

Montibus in Sanctis Pax hospita sidere fulget,
  Et Chisij Montes sidera Pacis habent.
Susci piunt Montes Pacem, quam destinat Astrũ;
  Et Quercu, atque Olea Palma Trophea gerit.
Ferrea sic tumulis, & plumbea conditur ætas,
  Septima succedens Aurea Secla feret.
Ianus Alexander cum Martia limina claudit,
  Æternæ ac Paci gemmea Templa nouat.
Viuat Alexander, cui Terra, & Sidera plaudunt
  Dum pro Pace nouus IANVS vbique micat.



X A-

XAVERIVM I.

Caſtellum ad Pampelonem, olim Pompeiopolim in Cantabria S. Franc. Xau. Patria.

Vbi in illius domo eiuſdem Caſtelli Domina, perantiqua Chriſti è Cruce pendentis effigies, quoties ille grauius aliquid pateretur in India, toties haud dubio ſudore manauit; quo verò anno idem migrauit è vita, ſexta quaque feria ſanguine ſudauit, quaſi caput in membro, in famulo Dominus laboraret.

Chriſti Crucifixi effigies.

Indorum ſteriles multo molimine campos
Dum tua, Xaueri, ſedula dexrra colit;
Sudoris primùm, mox ſanguinis eliquat vndas
Chriſtus, & è roſeo ſanguine ſudat amor.
Mixtus ſanguineis ſudor benè purpurat vndis,
Et benè ſudoris candet ab imbre cruor.
An quia dum cultis mandas tu ſemina terris,
Vt fructum referas, ille cruore rigat?
An quia purpureis vernent vepreta roſetis,
Et creſcant Tyrijs lilia mixta roſis?
Sanguinis, haud errem, ſertum tibi, Diue, colorat,
Et lactat ſudor virginitatis opes.

GANDIA

In Hispania.

Vbi in coenobio S. Claræ, Magdalena, S. Francisci Xauerij Soror, virtutibus, & vaticinationibus nobilis, eum nondum religiosæ adscriptum militiæ, Iesu Christi nomen coram populis, & gentibus aliquando portaturum diuinitus cognouit, & prædicauit.

Vas aureum gemmis ornatum, è quo IESV nomen emineat.

Vas tibi diuino radiat de nomine IESV,
Ac tanto plenum numine cuncta replet.
Tu vas extremos dum Christi nomen ad Indos,
Xaueri, portas, & liquor illud erat.
Protinus Eoos inuerso vase per agros,
Stellifero vectas æthere fundis opes.
Ex illo tumidus sublatis cornibus Indus,
Nectareas pleno flumine voluit aquas.



LVTETIA PARISIORVM I.

Quæ S. Franc. Xauerium humanæ primùm philoſophię in celeberrima Academia profeſſorem, dein ad S. Ignatium adiunctum, cęleſtis ſapientiæ candidatum, ſacris animum commentationibus excolentem, quatriduana corpus inedia domantem, nuntium ſæculo remittentem, prima ſuſpexit.

Lilium aureum
Gallorum Regum inſigne.

Aſpice, quæ vernent radiantia lilia in auro,
Quæ tibi de patrijs Gallia monſtrat agris:
Non rogat, vt pluuio lacrymarum fonte rigentur,
Queis oculi quondam permaduere tui.
Expectat, Cœlo quos tu demiſeris imbres,
Hoc ſe roranti lacte precantur alas.



LVTETIA PARISIORVM II.

Vbi Michael quidam Hiſpanus S. Franciſci Xauerij ſtudioſiſſimus cliens, ſuſpicatus id, quod erat, eum medijs ex honoribus ad humile vitæ genus S. Ignatij conſilio fuiſſe traductum, inuſitata rabie efferatus, eius conſilij authorem tollere decreuit è medio; ſtrictoque gladio furens eius in hoſpitium irrupit, negotium vtique confecturus, niſi huiuſcemodi emiſſa diuinitus voce perterritus illicò deſtitiſſet.

Quò miſer raperis? quò feſtinas inſane?

Gallus Leonem fugans.

Improbe ſiſte gradum: quo te rapit impetus iræ?
Crimine in hoc vno crimina quanta paras?
Sic Mundi Columen, ſic Cœli extinguere lumen
Vna cæde paras? Improbe ſiſte gradum.
Intempeſtiui ſed nunc procul eſte timores,
Nulla mihi, aſt Erebo maxima cauſa metus.
Fruſtrà, Inferne Leo, Franciſcum perdere tentas;
Quo ruis? in barathrum iam fuge; Gallus adeſt.

Me-

METAE.

In Gallia.

Ad quas S. Franc. Xauerius cum sui cruciandi corporis studio, arcto sibi lacertos, & coxendices vinculo colligatos, fœdo vulnere lacerasset, vt longiùs progredi non posset, quoniam vinculis altius impressis Medicorum ars desperauerat, cœlesti ope fractis repente funiculis, obductisque cicatricibus expeditus ad iter est.

Nodus Gordianus cum gladio.

Quo te, Diue pedes? aut quæ sors ducit in oras,
Quas vagus auriferis alluit Indus aquis?
Regnaturus agor: Cœlo noua regna parantur:
Imperij ecce omen; vincla soluta cadunt.



PAMPELON, siue POMPEIOPOLIS

In Cantabria.

Vnde cum ad S. Franc. Xauerium Parisijs adhuc agentem, Nuntius ex insperato venisset, eum Pompeiopolitanæ Ecclesiæ creatum esse Canonicum, risit ista Vir sapiens melioribus iam promissis à Deo præoccupatus.

Pellis Maculosa Canonicorum insigne.

Nil honor, aut auri Franciscum dira cupido,
Mystica nil picta munera pelle mouent.
Solum inhiat Christum, solum suspirat IESVM,
Non bibit ex alio flumine tanta sitis.
Astra super vario distinctum sydere vellus,
Iam pro despecto munere munus habet.



CONSTANTIA

In Heluetijs.

In cuius agro Angelus, iuuenis specie, viæ dux, cum S. Franc. Xauerium, & Socios gliscenti hæreticorum furori eripuisset, & quà tenendum esset iter, commonstrasset, aliò discessit.

Columna ignis, & nubis.

Franciscum, Sociosque vias tentare repostas,
Perque incalcatas quis docet ire niues?
Scilicet Hebraeæ lux quondam præuia genti,
Illum non dubio tramite fida preit.
Aliger Aligerum bellè comitatur euntem,
Aliger ille poli est, Aliger iste soli.




GERMANIA.

Per quam iter in Italiam S. Franc. Xauerius cum faceret, in hæreticorum ad Ecclesiam reductionem, vtiliter vnà cum socijs incubuit.

Canis venaticus.

Qualis laxa velox sensit cum lora Molossus,
 Præcipiti fertur lustra per alta gradu:
Et trepidas instat victor percurrere syluas,
 Hostilis donec proluat ora cruor;
Talis Christus vbi sacras immisit habenas,
 Tartareas tendis perdere, Diue, feras.
Nec labor in cassum, primam Germania prædam
 Præbuit, & pugnæ præmia prima tuæ.
O bona sors, hoc dente fuit victoria vinci,
 Vera salutifero vita sub hoste mori.



VENETIAE I.

Vbi Dęmon in Energumena latentem S.Francisci Xau., & Sociorum virtutem aperire & prædicare compulsus.

Sepia.

Callida ne raro capteтur Sepia rete,
  Candida nigranti membra colore notat.
Sepia sic Orci stygios vomit ore liquores,
  Sordeat vt fœdis laus temerata notis.
Et tamen illa tuis, Xaueri, laudibus icta
  Prodidit occultum, candida facta, decus:
Quid posthac timeat virtus, si pressa tenebris,
  Ipsa etiam victrix claret ab inuidia?



VENETIAE II.

Vbi in valetudinario insanabilium S. F. Xauerius Christi charitate, & S. Catherinæ Senensis exemplo ductus, manantem ex ægri, cui ministrabat, vulneribus saniem, vnicus sui contemptor, & victor, exsuxit.

Patena, in qua sit insignis magnitudinis margarita.

Impuro quondam Cleopatra ardebat amore,
 Quo datur Ausonio Gemma bibenda Duci.
In pretio labor est, at vilis gloria, namquè
 In sterili diues gemma labore perit.
Vilescunt gemmæ, sanies gemmascit amore,
 Hoc pius, at turpis præstitit illud Amor.
In vili labor, at pretium non vile laboris,
 Cui sua diuinus munera miscet amor.



MONS CELSVS.

Vbi S. F. Xauerius quadraginta dierum ſpatio (cæleſti Magiſtro videlicet authore, qui totidem in ſolitudine dies verſatus eſt) aſſidua rerum diuinarum contemplatione, & aſperrima corporis afflictatione, ad libandas Deo ſacerdotij ſui primitias ſe comparauit.

Silex in cordis figuram efformata.

Quid ſilicis montana petis deſerta ferarum,
  Xaueri an ſilicis cor ſiliceta petit?
Atqui non durum tibi cor, ſed molle, beato
  Igne calens; durum ni docet eſſe ſilex:
Dum ſæuis lacerare docet tua membra flagellis,
  Ignis vt abſtruſus clarior inde micet.
Dura ſed ipſa ſilex didicit molleſcere, credo,
  Quando velut ſilici tu tibi durus eras.



VICENTIA I.

Qua in Vrbe S. F. Xauerius primam diuinæ Maieſtati hoſtiam eo ſpiritus ardore, inter manantes gaudio lacrymas, immolauit, vt excellentem illum pietatis ſenſum haud ſecus retinuerit in tota reliqua vita, quàm ſi nouus quotidie Sacerdos ad aram accedens, primorem illam Sacrorum dulcedinem delibaret.

Calix ad ſacrificium.

Quale celebranti profert Vicentina nectar
Franciſco! tales vix habet æthra dapes,
Sed quid? non nè Calix duri eſt inſigne doloris?
Cur tibi, Xaueri, gaudia tanta parit?
Ah video; IESV ſapuit quod dulce magiſtro,
Diſcipulo paritèr nonniſi dulce ſapit.




VICENTIA II.

Vbi S. F. Xauerio inclytus Ecclesiæ Doctor D. Hieronymus, cuius ille studiosus in primis erat, nocte intempesta videndum se obtulit, & multa illi, ac Socijs euentura prædixit.

Lens crystallina.

Abdita qui pandit priscorum oracula vatum,
  Limina terrarum dum tenebrosa colit;
Ille tibi claro radiatus lumine Diuum,
  Certa futurorum iam simulacra refert.
Ceu speculo series cernis, Francisce, futuras,
  Diuino donec sole videre queas:
Carmina iam sileat folijs commissa vetustas,
  In te signatum certius omen habet.



LVTETIA PARISIORVM II.

Vbi Michael quidam Hiſpanus S. Franciſci Xauerij ſtudioſiſſimus cliens, ſuſpicatus id, quod erat, eum medijs ex honoribus ad humile vitæ genus S. Ignatij conſilio fuiſſe traductum, inuſitata rabie efferatus, eius conſilij authorem tollere decreuit è medio; ſtrictoque gladio furens eius in hoſpitium irrupit, negotium vtique confecturus, niſi huiuſcemodi emiſſa diuinitus voce perterritus illicò deſtitiſſet.

Quò miſer raperis? quò feſtinas inſane?

Gallus Leonem fugans.

Improbe ſiſte gradum: quo te rapit impetus iræ?
Crimine in hoc vno crimina quanta paras?
Sic Mundi Columen, ſic Cœli extinguere lumen
Vna cæde paras? Improbe ſiſte gradum.
Intempeſtiui ſed nunc procul eſte timores,
Nulla mihi, aſt Erebo maxima cauſa metus.
Fruſtrà, Inferne Leo, Franciſcum perdere tentas;
Quo ruis? in barathrum iam fuge; Gallus adeſt.

Me-

M E T AE.

In Galliā.

Ad quas S. Franc. Xauerius cum ſui cruciandi corporis ſtudio, arcto ſibi lacertos, & coxendices vinculo colligatos, fœdo vulnere laceraſſet, vt longiùs progredi non poſſet, quoniam vinculis altius impreſſis Medicorum ars deſperauerat, cœleſti ope fractis repente funiculis, obductiſque cicatricibus expeditus ad iter eſt.

Nodus Gordianus cum gladio.

Quo te, Diue pedes? aut quæ ſors ducit in oras,
  Quas vagus auriferis alluit Indus aquis?
Regnaturus agor: Cœlo noua regna parantur:
  Imperij ecce omen; vincla ſoluta cadunt.



PAMPELON, *siue* POMPEIOPOLIS

In Cantabria.

Vnde cum ad S. Franc. Xauerium Parisijs adhuc agentem, Nuntius ex insperato venisset, eum Pompeiopolitanæ Ecclesiæ creatum esse Canonicum, risit ista Vir sapiens melioribus iam promissis à Deo præoccupatus.

Pellis Maculosa Canonicorum insigne.

Nil honor, aut auri Franciscum dira cupido,
Mystica nil picta munera pelle mouent.
Solum inhiat Christum, solum suspirat IESVM,
Non bibit ex alio flumine tanta sitis.
Astra super vario distinctum sydere vellus,
Iam pro despecto munere munus habet.



CONSTANTIA

In Heluetijs.

In cuius agro Angelus,iuuenis specie, viæ dux, cum S. Franc. Xauerium,& Socios gliscenti hæreticorum furori eripuisset, & quà tenendum esset iter, commonstrasset, aliò discessit.

Columna ignis, & nubis.


Franciscum, Sociosque vias tentare repostas,
Perque incalcatas quis docet ire niues?
Scilicet Hebraeæ lux quondam præuia genti,
Illum non dubio tramite fida preit.
Aliger Aligerum bellè comitatur euntem,
Aliger ille poli est, Aliger iste soli.



Per quam iter in Italiam S. Franc. Xauerius cum faceret, in hæreticorum ad Ecclesiam reductionem, vtiliter vnà cum socijs incubuit.

Canis venaticus.

Qualis laxa velox sensit cum lora Molossus,
Præcipiti fertur lustra per alta gradu:
Et trepidas instat victor percurrere syluas,
Hostilis donec proluat ora cruor;
Talis Christus vbi sacras immisit habenas,
Tartareas tendis perdere, Diue, feras.
Nec labor in cassum, primam Germania prædam
Præbuit, & pugnæ præmia prima tuæ.
O bona sors, hoc dente fuit victoria vinci,
Vera salutifero vita sub hoste mori.



VENETIAE I.

Vbi Dęmon in Energumena latentem S. Francisci Xau., & Sociorum virtutem aperire & prædicare compulsus.

Sepia.

Callida ne raro captetur Sepia rete,
  Candida nigranti membra colore notat.
Sepia sic Orci stygios vomit ore liquores,
  Sordeat vt fœdis laus temerata notis.
Et tamen illa tuis, Xaueri, laudibus icta
  Prodidit occultum, candida facta, decus:
Quid posthac timeat virtus, si pressa tenebris,
  Ipsa etiam victrix claret ab inuidia?



VENETIAE II.

Vbi in valetudinario insanabilium S. F. Xauerius Christi charitate, & S. Catherinæ Senensis exemplo ductus, manantem ex ægri, cui ministrabat, vulneribus saniem, vnicus sui contemptor, & victor, exsuxit.

Patena, in qua sit insignis magnitudinis margarita.

Impuro quondam Cleopatra ardebat amore,
 Quo datur Ausonio Gemma bibenda Duci.
In pretio labor est, at vilis gloria, namquè
 In sterili diues gemma labore perit
Vilescunt gemmæ, sanies gemmascit amore,
 Hoc pius, at turpis præstitit illud Amor.
In vili labor, at pretium non vile laboris,
 Cui sua diuinus munera miscet amor.



MONS CELSVS.

Vbi S. F. Xauerius quadraginta dierum ſpatio (cæleſti Magiſtro videlicet authore, qui totidem in ſolitudine dies verſatus eſt) aſſidua rerum diuinarum contemplatione, & aſperrima corporis afflictatione, ad libandas Deo ſacerdotij ſui primitias ſe comparauit.

Silex in cordis figuram efformata.

Quid ſilicis montana petis deſerta ferarum,
 Xaueri an ſilicis cor ſiliceta petit?
Atqui non durum tibi cor, ſed molle, beato
 Igne calens; durum ni docet eſſe ſilex:
Dum ſæuis lacerare docet tua membra flagellis,
 Ignis vt abſtruſus clarior inde micet.
Dura ſed ipſa ſilex didicit molleſcere, credo,
 Quando velut ſilici tu tibi durus eras.




VICENTIA II.

Vbi S. F. Xauerio inclytus Ecclesiæ Doctor D. Hieronymus, cuius ille studiosus in primis erat, nocte intempesta videndum se obtulit, & multa illi, ac Socijs euentura prædixit.

Lens crystallina.

Abdita qui pandit priscorum oracula vatum,
Limina terrarum dum tenebrosa colit;
Ille tibi claro radiatus lumine Diuum,
Certa futurorum iam simulacra refert.
Ceu speculo series cernis, Francisce, futuras,
Diuino donec sole videre queas:
Carmina iam sileat folijs commissa vetustas,
In te signatum certius omen habet.



BONONIA I.

Quæ hoſpitium S. F. Xauerij ſanati hoſpitis memoria, & loci religione permota, in Sacellum, quod hodiè Societ. Ieſu templo S. Luciæ ſacro incluſum eſt, vertit, vt idem tanti viri eſſet, & diuerſorij, & ſanctitatis monumentum.

Ara.

En locus hic idem cæleſti inſtaurat honores
Olim mortali, qui tibi tecta dedit.
Haud equidem malim pario de marmore rupis
Surgere ſublimi templa ſuperba tholo.
Quod fuit hoſpitium, virtutis grande theatrum,
Araque iam fiet, qui torus ante fuit.



Ro-

ROMA I.

In qua S. F. Xauerius antequam ad Indicam expeditionem destinaretur, sæpenumero sibi per quietem visus, humeris nigrum Indum vectare adeo grauem, vt ipso pondere fatigatus excitaretur à somno: adumbratam tolerandorum in India laborum imaginem ad viuum olim expressurus.

Aethiops.

Nox erat, & parco fallebat lumina somno
Diuus, erat somnus menti operosa quies:
Cum subitò irrorans, ceu presso è corpore, sudor
Stillat, & insolito membra labore gemunt.
Vnde tibi tantus generosa per ora liquescit.
Castaque sollicitat pectora, Diue, labor?
Te superimpositus niger ingrauat accola Gangis,
Vmbra operum: incubuit mox Orientis onus.
Scilicet Aethiopum, & cognati Memnonis orbē
Sustentare humeris, ne ruat, ipse potes.
Si nox sapitum talem te vidit Atlantem,
Qualem te vigilem viderit orta dies!

ROMA II.

Vbi S. F. Xauerius coram Paulo III. Pontif. Max. de propositis è Theologia quæstionibus, magna cum omnium vel approbatione, vel admiratione disseruit.

Lapis lydius auro tinctus.

Eruta fœcundo perfossi viscere montis
Lydius explorat fulua metalla lapis,
Doctrinam, Frãcisce, tuam, Vrbs ad sydera tollit,
Romanique colit sella verenda Patris;
Lydius hæc lapis est, totoque probatur in Orbe;
Quidquid ab hac distat, falsa notare patet.



ROMA III.

Vbi S. F. Xauerius cum in nosocomio versaretur, multiplicia Indicarum ærumnarum onera, quæ diuini obsequii gratia subiret per quietem ostensa, adeò non exhorruit, vt præ cupiditate plura, & acerbiora tolerandi vociferaretur.

Amplius, amplius, amplius.

Camelus genuflexus imponenda onera expectans.

Adspice curuantem sub pôdere dorsa Camelum,
An grauius flexo poplite poscit onus?
At sibi Franciscus pro Numine durius ambit
Semper onus, quod adest quàm leue pondus, ait.
Quin etiam absentum iam mẽs præsaga laborum
Me magis, exclamat, me preme, Christe magis.
Credo, nouis fortes humeros supponere Mundis,
Alter Atlas, prisco maior Atlante, cupis.



R O M A IV.

Vnde S. F. Xauerius à Paulo III. è nobilissima Farnesiorum familia Pontif. Max. Nuntius Apostolicus in Indiam missus.

Lilium cæruleum Farnesiorum insigne cum duabus decussatis clauibus in caducei morem expressum.

Sidereas inter regnantia Lilia claues
  Dat tibi Romulea summus ab vrbe Pater;
Vt sacra degeneres in foedera Nuntius Indos
  Aeterno pergas conciliare Deo,
Tali tu virga Cœlique, Erebique potente
  Ad Ditem claudis, pandis ad astra viam.
Desine Mercurium mendax memorare vetustas,
  En facere hic, quam tu fingere, plura potest.



ROMA V.

Vbi S. F. Xauerius Indicam à S. Ignatio, nullum adhuc per Apostolicam Sedem legitimum imperium in socios obtinente, prouinciam oblatam, tanta suscepit alacritate, vt vix tantulo accepto spatio, quantum consalutandis amicis, sarciendæque attritæ tunicæ satis esset, postero die, dato prius osculo Sanctissimi Pastoris pedi, se in viam dederit, nec ex Vrbe quicquam præter Romanum Breuiarium secum extulerit.

Breuiarium Romanum.

Nuncius extremos, Xaueri, lectus ad Indos,
Dum properas Cœli dogmata sacra ferens.
Vna sacri libri viuit sub pectore cura,
Ad pia quò possis vota vocare Deum.
Hoc tua nunc aliis sacrum explicet acta volumen,
Quando legenda facis, dum facienda legis.



LAVRETVM.

In Piceno.

Vbi in Sācta Deiparæ domo sacris dās operā S. F. Xauerius, nouum animo concepit ardorem, tùm promulgandi Indiarum gentibus Euangelii, tùm dura omnia tolerandi.

Sancta domus Lauretana, supra quam sit B. Virgo puerum Iesum gestans.

Hic dum sacra facis, diuinos concipis ignes,
Xaueri, & supero totus ab igne tumes.
Scilicet hic cœlum sua spicula vidit amoris,
Et Deus hac sacras temperat æde faces.
Et flammis flammas, atque ignibus astruit ignes,
Et tua diuino corda calore rigat;
Quid mirum, tibi cum tanto cor arserit æstu,
Consimili Eoas igne flagrasse plagas?



Bo-

BONONIA II.

Vbi S. F. Xauerius Bononienſes (qui didito rumore inter caros S. Viri in ſpiritu filios properare Patrem ad Indos, & diſcedere nunquam rediturum, ad S. Luciam conuenere ante lucem frequentes, interfuere ſacrificanti, eodem porrigente diuinas epulas reguſtarunt) adeo permouit, vt non niſi multo cum eorum fletu, ac gemitu ab iis abſtractus, celebrem illum Apoſtoli Pauli ab Epheſinis digreſſum ſpecie quadam repræſentarit.

Animal Haut canens noctu notas muſicas.

Flere die media videt omnes Felſina Ciues,
Vt, Franciſce, tuum ſic remorentur iter.
Tu tamèn, ad Cœlos illorum, vt corda reducas,
Per noctem aſſiduis fletibus ora rigas.
Quid magis Haut mirer plorantē reddere cantus
Dulciſonos? maior cauſa ſtuporis adeſt. (grū,
Flēs canit, Haut, reddit tamèn hūc ſua Muſica pi-
At tua currentes reddit ad Aſtra Viros.

XAVERIVM II.

Oppidum ad Pampelonem, siue Pompeiopolim in Cantabria S. Franc. Xauer. patria.

Cuius ille in fines, Indiam petens, cum peruenisset, nullo modo flecti potuit, vt ad matrem, & cognatos minimè deuios, quos posthac visurus nunquam esset salutandos paulisper diuerteret: quàm Christi memor, tàm carnis oblitus, & sanguinis.

Vaccæ plaustrum, in quo sit arca testamenti, trahentes.

Dum terras alio meditatur Sole calentes
 Trames eum patrios duxerat antè lares;
Sed quid, ait, patriæ deflectam ad limina sedis?
 Omne solum patria est, terra paterna vale.
Sic Arcam obliquo numquam temone Iuuencæ
 Traxere, & fœtus posthabuere Deo:
Hæ tamen implerunt querulæ mugitibus auras,
 Sed tu, Diue melos dulciùs ore canis.

OLYSIPPO I.

In Lusitania.

Quò, cum S. F. Xauerius in Indiam transmissurus contenderet, vnum è primoribus Lusitani ad Summum Pontificem Legati comitibus fluminis vorticibus abreptum, fusis ad Deum precibus, in vado statuit.

Securis cum separato manubrio, ex flumine extracta.

Arcanis trahitur nodis emersa securis,
  Et repetit lignum ceu sua membra caput.
At tu turbineo demersum gurgitis haustu
  Illaqueans votis, ad vada summa trahis.
Quantùm homini cedit ferrum, tua gloria tantũ
  Vincit, & antiquum despicit alta decus.
Fallor: at ecce nouo sensu perculsa Bipennis
  Se dicat, vt syluas in tua templa trahat.



OLYSIPPONI.

In Lusitania;

Vbi S. F. Xauerius ab Apostolicis eximiæ virtutis, & sanctitatis operibus Apostoli cognomentum sibi, & socijs inuenit.

Tuba.

Quid iuuat horrisono Martem succendere cantu,
Armatisque viris bella cruenta loqui?
Pono minas, frontis depellite nubila matres,
Xauerij posthac inclyta gesta canam.
Audiar & terris iam dulcis, & audiar astris,
Pytagoræ auditis æmula facta sonis,
Non tamen illius decertatura sonori,
Quem stygij quondam contremuere lacus.




OLYSIPPO III.

In Lusitania.

Vnde S. F. Xauerius in Indiam soluens, viaticum à Ioanne Lusitaniæ Rege prolixè oblatum recusauit, precariò in ipso etiam victitaturus Oceano, & alienam benignitatem studio suæ paupertatis excitaturus.

Pratum, vbi inter flores sint duo passeres.

Qua spe, *Diue*, precor subiture pericula ponti
  Regia magnanima munera fronte fugis?
Lilia nimirum vt nullo cultore renident,
  Vtque auibus victum sponte ministrat humus,
Sic tibi supremum speras non defore Numen,
  Quamuis mortali sis viduatus ope.
O' quantum syncera valet fiducia! victum
  Fidenti ipse etiam suggerit Oceanus.



OLYSIPPO IV.

In Lusitania.

Vbi S. F. Xauerius virginitatis, quam perpetuò coluit, studiosissimus, impuram fortè speciem per somnium oblatam cum summa vi repellere conaretur, protinus excitatus è somno est, adeò commotus, vt è naribus magnam vim cruoris profuderit, animi candorem vel sanguine aucturus.

Lilium candidum.

Turpia Francisci turbant dum somnia pectus,
Sanguine, ceu telo, spectra nefanda fugat.
An non virgineæ sunt hæc tutamina mentis,
Quæ timet internæ ne rapiantur opes?
Securus dormi: si pectora concutit Orcus
Pro domino potis est mens vigilare suo.



OCEANVS ATLANTICVS.

Per quem S. F. Xauerius in Indiam nauigans, ſatis gnarus martyrij genus eſſe humanæ ſalutis cauſa obijcere ſe peſtilentiæ, vectoribus, nautiſque peſtilenti lue correptis, promiſcuè, enixèque inſeruiendo ſic adiuit, vt vim contagionis, quam minimè formidauit, minimè ſenſerit.

Equus marinus.

*D*um miſeras vaſto turbas complexa profundo,
Altiùs in venas ſerperet atra lues,
Xauerius tabe infectos non horruit artus,
Ægraque præſenti corpora iuuit ope;
Nulla tamen diri ſenſit contagia morbi,
Nil potuit ſacras contemerare manus.
Æquoreum quid miror Equum! fugat ille venena,
Triſtis ab hoc longè peſtis abacta fugit.



MOZAMBICVS INSVLA I.

In Africæ ora ad ortum Solis vergente.

Vbi nauta insaniens à S. Francisco Xauerio in suo lectulo collocatus, mentis illicò sanitatem recuperauit.

Lyra super lectum.

Dum miser insanit nauta, & furibundus anhelo
Pectore vesanas increpat ore minas;
Non veras hominis credas resonare querelas,
Fracta sed ingratos edere plectra sonos.
At fouet amplexu, proprioque reposta grabato
Auxilio Diuus languida membra iuuat.
Dissona quæ rauco strepuit lyra murmure nautæ,
Consona Xaueri j facta repentè toro est.



MOZAMBICVS INSVLA II.

In Africæ ora ad ortum vergente.

Vbi S.F.Xauerius dū malè affectorum subleuare morbos summa ope connititur, ipse in morbum incidit, exemplum futurus, quibus fuerat solatium;& nihilo tamen segnius operam, Medico stupente, dedit, vt etiam ægrotus quibuscumque posset officijs iuuaret ægrotos.

Fornacula, qua flores in medicamenta, & odores distillantur.

Qualiter ardenti fornace liquescit odoras
 Herba salutifero sparsa liquore comas.
Vt vitam interitu membris languentibus addat,
 Dum medicas flagrans eliquat ignis opes:
Taliter ætherei dum vruntur Amoris ab æstu
 Francisci ah quantum Corda vigoris habent:
Vtque alios pœna leuet, illi est pœna voluptas,
 Et languor vires, & medicina malum.
Nec satis hoc: æger famulum se deuouet ægris,
 Quas vires morbus detrahit, addit Amor.

MELINDA.

Saracena vrbs in eadem Africæ ora.

Vbi S. Franciſcus Xauerius cœcas Saracenorum mentes ad cupidinem Chriſtianæ lucis accendit.

Elephanti cum panno purpureo illis obiecto.

Aſperat immites concylis purpura Barros,
Vltriceſque animat tincta cruore faces:
Sanguineo Chriſti perfuſum murice corpus,
Et foſſum aſpectans impia turba latus;
Ardet, & vltores in ſeſe exſuſcitat ignes,
Xauerio eloquij, concutiente facem.
Dũque oculis cruor, atq; animo pia verba recursãt,
Obſeſſæ mentis ius habet omne Deus.
Seminaque irarum in meſſem naſcuntur amoris,
Vt creſcat, Chriſtus ſanguinis imbre rigat.



SOCOTORA INSVLA.

Ad Arabici finus fauces.

Vbi S. F. Xauerius infantes ſacro abluit fonte, adultos, qui iàm exoleuerant Chriſtianis ritibus imbuit, omnes à Saraceni Domini tyrannide liberari curauit.

Compedes, & manicæ aureæ.

Io triumphe! graues manibus cecidere catenæ;
  Io triumphe! pedum vincula fracta iacent.
Præproperis in iuſſa Dei iàm paſſibus imus,
  In Cœlum, & palmas tollere poſſe datur.
Tu ſolus tali nos libertate beaſti
  Xaueri; per te libera turba ſumus.
Ereptos igitur ſtygij ditione Tyranni
  Aſpice,& in famulos accipe ritè tuos.
In tua quam læti venimus vincula! & oh quam
  Noſtra ſuperbimus ſubdere colla iugo!
Veri nàmque Dei ſeruit quicumque miniſtro,
  Nutibus is terram ſubdit, & Aſtra ſuis.



OCEANVS INDICVS I.

In quo S. F. Xauerius cum nauigaret, anchorarij funis volumine pro lecto, anchora pro ceruicali vsus est.

Anchora cum fune.

Membra rudis recipit funis collectus in orbem,
Anchora lassatum fulcit adunca caput.
Mollius vt Christi languentia membra cubarent,
Strata dabas membris asperiora tuis.
Nempe necē vt Christi, somni inter dona, referres;
Anchora pro dumis, pro cruce funis erat.



G O A. I.

In India.

Quam vrbem nobilissimam Indici lusitanorum imperij sedem omni vitiorum fœditate corruptam, & deformatam S. F. Xauerius ad omnia virtutum officia informauit, & expoliuit.

Vrsa catulos lambens.

Fœcundo natos fundit quos ventre sub auras
  Vrsa, rudes linguæ sedula fingit ope.
Vsque adeo lambit donec lentè exprimat artus,
  Et speciem reddat debita forma suam.
Iam Goa deformes nutribat moribus vrsos,
  Iam ciues vitâ relligione rudes.
Hinc aberat pietas, legum custodia, mentis
  Castus amor, recti regula cana fides.
Ergo Goæ faciem crebro Xauerius ore
  Tentat. dum ciui mystica verba tonat.
Perge diu, Francisce, tuæ sapientia vocis,
  Iam diuina rudem format in ora Goam.





GOANVM SEMINARIVM.

Ex omnibus ferè Indiæ nationibus conſtans.

Quod S. Franciſcus Xauerius Sociorum ſemel curæ commiſſum perpetuò fouit.

Plantaria.

Mollia ſiccatis vruntur germina glebis,
Ni Notus infuſis imbribus vſta riget.
Quæ manibus digeſta tuis plantaria ſurgunt,
Arida non pluuio procubuere Ioui.
Cœleſtes paſſis rores te frondibus orant;
Ornatura tuas læta virore comas,
Scilicet vndantem tibi ceſſit Aquarius vrnam,
Iamque nouum noſtro ſydus in orbe micas.



GOA. II.

In India.

Vbi S. F. Xauerius Apoſtolicæ perfectionis æmulator egregius, Apoſtoli cognomentum, quod in Luſitania reliquerat, rurſus inuenit.

Columna.

Dydimus æternæ tibi prima columna ſalutis,
India, te ad ſuperas vexerat vſque domos.
Nobile firmarat templum pietatis, & arcem,
Ceſſiſſes ſtabili tu niſi pulſa loco.
En modo, qua ſurgant pietatis moenia priſcæ,
Altera Franciſcus miſſa columna polo eſt.
Hanc tu ne renuas primæ ſociare columnam;
Tam ſtabili hæc fuerit, quàm fuit illa pede.



ORA PISCARIA I.

Ad Commorinum Promontorium:

Cuius incolas Neophytos omni Sacerdotum præſidio deſtitutos, & Chriſtianorum inſtitutionum plane rudes S. F. Xauerius, ingenti labore, inter maximas ærumnas, omniumque rerum inopiam, cum oryza, eaque exigua victitare, humi cubare, duas, treſue ad ſummum ſomno horas dare, ſolemne illi eſſet, excoluit.

Vinea cum vuis, ſentibus, lapidibuſque ad eius fines reiectis.

Quæ, Franciſce, tuos declarat imago labores,
  Hæc eadem probrum pandit imago meum;
Hiſpida ſi duris horrebam vinea ſaxis,
  Culta manu reddor ſplendida, Diue tua.
Vndique ſi denſis ſqualebat conſita dumis,
  Per te pro dumis ritè renidet humus.
Sed ne vota labent; Cœli iam in parte locatus,
  Florida diuinis imbribus arua riga.


ORA PISCARIA. II.

Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S. F. Xauerius Ethnicorum oppida, pagosque complures salutari fonte lustrauit, tanto Christiana sacra capessentium concursu (vicos enim totos singulis diebus non semel expiauit) vt inter baptizandum manibus, brachijsque defatigatis sæpe langueret.

Rete piscibus plenum.

Captiua ad littus trahitur gens humida ponti,
Ludit & in vinclis libera turba suis.
Haud aliter scelerum traxisti in gurgite nantes,
Vt possent vita liberiore frui.
Quisquis in Oceano noxarnm cingeris vnda,
Hæc vt sis liber, retia sola dabunt.



ORA PISCARIA: III.

Ad Commorinum Promontorium.

In qua S. F. Xauerius Brachmanas in certamine de religione conuicit, & ipsorum nonneminem ad Christiana instituta traduxit.

Catena aurea.

Quos Christo adnectis depromptis ore catenis,
Seruitio exemptos viuere, Diue, iubes.
Aurea, fornace ætherei confl antur amoris
Hæc vincla, & Regem, quem tenuere, creant.



ORA PISCARIA. IV.

Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S. F. Xauerius piſcatorum animas marga-ritis, quarum piſcationi operam ipſi darent longe pretioſiores piſcaturus, nudis pedibus per arenas immani ſolis ardore exæſtuantes diſcurrere ſolitus.

Arena.

Piſcarij calcas feruentes littoris oras,
Plurima nec feſſos tardat arena pedes:
Læduntur ſabulo veſtigia nuda calenti,
Hic tamen haud prohibet, ne gradiare, calor.
Quid tibi pro tanto nunc cœlum reddidit æſtu?
Quidue tuo potuit ſuppoſuiſſe pedi?
Sydera pro ſabulo, & cœlũ premis, additus aſtris:
Et licet hæc caleant, haud nocuere pedi.



ORA PISCARIA V.

Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S. F. Xauerius per ſomnum, quo perexiguo duas, aut ad ſummũ tres horas vtebatur, ſæpius eiuſmodi voces, ò bone IESE, ò creator mi, aliaſque conſimiles emittebat, vt orare illum, non dormire crederes.

Concha aperta margaritis plena.

Concha parit gemmas, cœlo fœcunda marito,
E lacrymis fabricat ſedula diuitias.
Pauperie ditat, generat lucem, indiga lucis,
Et rutilum informis parturit ipſa decus.
Sic tu cœleſti grauidatus pectora rore
Corde nouas gemmas concipis, ore paris.
Pauper amas tenebras, ſed opũ vi contrahis orbẽ,
Et tellus radijs deficit arcta tuis.
Non ſemper tamen illa patet rorantibus aſtris,
Tu Franciſce Deo nocte, dieque pates.



ORA PISCARIA. VI.

Ad Commorinum Promontorium.

In qua S. F. Xauerius vario morborum genere affectos, aquæ lustralis aspergine sanitati restituit.

Duo vasa aquæ lustralis ad templi fores statuenda.

Hæc duo lustrales seruent tibi marmora limphas,
Vberiora fluant quo tua dona manu.
Haud opus est sacras Epidaurius afferat herbas:
Diue, tua hæc morbos sat leuat vnda meos.
Ipse etiam valeat mihi iam cum Poeone Phœbus:
Tu mihi iam Poeon, tu mihi Phœbus eris.



ORA PISCARIA. VII.

Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S. F. Xauerius per puteos à ſe inſtitutos, nunc precatorio roſario, nunc parua cruce, aliàs theca reliquiaria, quibus ipſe vteretur, inſtructos, & morbos paſſim, & dęmones expulit.

Precatorium roſarium è margaritis.

Hoc nectens ſertum Thetys lacrymantibus aſtis,
  Paruo Croſiacum Inſit in orbe decus.
At lacrymis rorata tuis pia ſerta, coruſcas
  Prodigijs ſtellas occuluere ſuis.



TVTVCHVRINVM.

Oppidum oræ Piſcariæ.

In quo S. F. Xauerius fœminam partus difficultate moribundam baptiſmate liberauit; puerumque recens natum, & pueri patrem; reliquoſque familiares ſatis inſtitutos eadem profundit aqua, non minus miraculo attonitos, quàm rei lætos euentu.

Cerua iacens, quæ tonitru ad partum iuuatur.

Eccè tonat Cœlum, totuſque remurmurat aer;
Reddit at hinc partus territa Cerua ſuos.
Fortunatum animal! Tonitru cui ſydera proſunt;
Diraque vibrati fulminis ira fauet.
Quã benè Franciſcũ oſtendis! quo orante iuuatur
Fœmina, quam partus dura pericla premunt.
Sed fuge Cerua, tuos fœtus timor anxius vrget;
Hunc manibus proprijs obſtetricatur amor.



PVNICALE I.

Oppidum oræ Piſcariæ.

In quo S. F. Xauerius omnes cæleſti lauacro eluit, plurimos & à morborum cruciamentis, & ab impuris ſpiritibus vindicauit.

Panacea.

Si tibi lethiferis torrentur febribus artus,
  Imaque tartareus concutit oſſa furor,
Vna poteſt omnes Panacea leuare dolores,
  Sed non quàm latis educat Indus agris.
Miſſa tibi Panacea, polo Franciſcus ab alto eſt,
  Vteris hoc vno? iam bene cuncta valent.



PVNICALE II.

Oppidum oræ Piſcariæ.

Vbi adoleſcentulus vita functus ad S. F. Xauerium ingenti parentum comploratione perlatus, præhenſa ab ipſo manu, & Chriſti nomine iuſſus ſurgere ingenti cum omnium admiratione ſurrexit.

Vitis, cuius vnicus palmes ad terram reflexus, & defoſſus è terra rurſus emineat.

Quàm bene fœcundo conſurgit palmite Vitis,
Arida qua iuuenis vita ſepulta redit!
Mortua Vitis erat vita hæc: quas lumine fundit
Franciſcus, vitæ ſemina ſunt lacrymæ.
Quæ non ad tales reuireſcat Vinea riuos,
Sicca licet truncis. Eia age, vita redi.
Vita redit: quos ah felix dabis Vua liquores?
Hoc ſat: funde nouis myſtica Vina ſacris.



PVNICALE. III.

Oppidum oræ Piſcariæ.

In quo S. F. Xauerius à Chriſtiana muliere ſuã orbitatem deplorante rogatus, paruulum vt ad filium delapſum in puteum, & penitus exanimem extractum ne grauaretur accedere, negauit puerum mortuum eſſe, iuſſitque bono animo eſſe mulierem, cumque ad eum acceſſiſſet, & complicatis ad orationem genibus frigidum cadauer cruce ſignaſſet, continuò puer è feretro exiliuit, & ſe matri viuum, atque incolumem ſtatuit.

Puer mortuus cum baculo ipſi impoſito.

Perdiderāt iam vota fidem, & ſibi pignoris vmbrã
  Hauſerat expirans, non minus vmbra, parens.
Quid ſi nunc baculum Teſbitæ mittat alumnus:
  Anne putas mortis lex reſoluta cadet ?
Falleris: at venis rediuiuus ſanguis inundat,
  Et mors Xauerij carmine pulſa fugit
Quippè puer puero partem crucis admouet illi,
  Admouet hic totam dextera ſacra crucem.

PVNICALE. IV.

Oppidum oræ Piſcariæ.

Vbi S.F. Xauerius præſente inter alios Io. Triaga Luſitanio viro iuxtà pio, & graui, defunctam puellam reuocauit ad vitam.

Virga florens.

Arida funereo pallebas turbine Virgo,
Ceu pallet paſſis virga reciſa comis.
At tibi Xauerio ſuperos in vota vocante,
Horrida ver nitidum ferre iubetur hyems.
Inſolitas ſic virga vices mutauit Aronis,
Seque in Amygdalinas induit ipſa comas.



BEMBARVM.

Oppidum oræ Piſcariæ:

In quo S. F. Xauerius alium à mortuis excitauit.

Arbor inuerſa.

Cernis vt inuerſa Cœlum radice laceſſat
  Arbor, & æthereas viuida captet opes?
Quam nec mater alit fœcundo viſcere tellus,
  Nec riguo florens vbere lactat ager.
Talis erat, Franciſce, tua rediuiuus ab arte,
  Quem mors ſub leges traxerat atra ſuas.
Illum vitalis terræ defecerat humor,
  Sed veniens cœlo vita renata fouet.
Plus vitæ mors ſæua dedit, niſi ſæua fuiſſet,
  Cœleſtem hic numquam vitam habiturus erat.




Ad Commorinum Promontorium.

In quibus Parauas oræ Piscariæ incolas Christianos, Badagarum Ethnicorum hostilem vim declinantes, fames obsedit. S. F. Xauerius xx. commeatuum nauibus liberauit.

Cornucopia.

Dum misera vndoso gens circũ obsessa profundo
  Mulcendam nulla sustinet arte famem,
Ipse laboratam Cererem, subitoque paratas
  Impiger acceleras puppe volante dapes.
Quid nunc Riptolamũ iactas mihi cęca vetustas,
  Cui fruges numquam littus, & vnda dedit?
Aut quid Amalthęæ miraris munera cornu,
  Dum saxa, & scopuli ruris honore nitent?




ORA PISCARIA VIII.

Ad Commorinum Promontorium.

Vnde plus mille infantes à S. F. Xauerio baptizati, sub baptiſmo in cœlum euolarunt.

Columborum candidorum grex.

Ipſa tibi ſæuos parit Indica terra colubros,
  Et miſcet natis atra venena ſuis.
Non tulit hoc facinus, ſacro ſed flumine merſit
  Xauerius, dira corpora tacta lue.
Quiſque emergit aquis fœdo è ſerpente columba,
  Ac ne fœdetur rurſus, in aſtra volat.



ORA PISCARIA IX.

Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S.F. Xauerius cum ob cœteras ſanctimoniæ notas, tum ob Chriſtanam præcipuè humilitatem, qua omni ratione abijcere ſeſe, ſuæque ſplendorem ſanctitatis occulere conabatur, vulgò S. Pater vocari cœpit, adeo occultata virtus extitit illuſtrior.

Aqua per tubum tantundem aſcendens, quantum deſcendit.

Limpha fugax, plūbi anguſto quæ tramite fertur,
Æquè tubis vitreas eiaculatur aquas.
Æthereas tantum victrix ſe tollit ad auras,
Quantum præcipiti tendit in ima pede.
Sic tua, Xaueri, magè quò petit infima Virtus,
Te magis in ſuperas eleuat illa plagas.
Verùm magni etiam ſuperat penetralia Cœli,
Viuaque Cœlituum tecta per alta volat.




TRAVANCORIS ORA. I.

Ad Commorinum Promontorium.

In qua S. F. Xauerius capita amplius decem millia, menſe vertente, ſalutaribus expiauit aquis, & magnus Pater eſt appellatus.

Fons hortum varijs conſitum floribus irrigans.

Squalet odoratis olim ſine floribus hortus,
  Dum ferus arentes Syrius vrit agros.
Hunc ſi forte riget placidis fons prodigus vndis,
  Arida quæ fuerant germina, culta virent.
Vana ſuperſtitio faciles induxerat æſtus,
  Ardebant fidei pectora hiulca ſiti.
Pellis Diue, ſitim longam luſtralibus vndis,
  Exin diuino germine corda virent.
Iam ripis inhibete citos vaga flumina curſus;
  Hæc mihi præ cunctis fertilis vnda fluat.



TRANVANCORIS ORA. II.

Ad Commorinum Promontorium.

Cuius Rex, vt omnes toto ſuo regno Magno Patri (quo nomine S. F. Xauerium vulgo appellabant) omnibus in rebus, perindè ac ſibi obtemperarent, edixit.

Sceptrum.

Quod velut imperio exutus Tibi ſceptra reponit,
Atque tua geſtit Rex ditione premi.
Nimirum gemino imperitat, te Principe, Regno,
Et populos ſceptris ſubdit, & aſtra ſuis.
Nobile mancipium Rex eſt, premiturque Catena,
Viuida poſt cineres, ni ſibi regna paret.



Ad Commorinum Promontorium.

In qua S. F. Xauerius idolorum Fana ſubuertit, ſimulacra confregit, quæque ab incolis modò ſuppliciter culta, eorundem proculcanda pedibus dedit.

Ipſæ Fanorum ruinæ, ſimulacrorumque fragmenta in vnum congeſta.

Diruta procumbunt Fana, & ſimulacra Deorum,
Nec Dijs obtritis fert *D*eus alter opem.
Xaueriæ quaſſata ruunt teſtudine dextræ,
Et tumulant ritus ſemiſepulta ſuos.
Has tibi nunc ipſas ſacro cum mole ruinas,
Per quas celſa tuum ſurgat in aſtra decus.



Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S. F. Xauerius, ne aut ſub arborum opacitate, aut nautico ſub velo, carbaſiſque prætentis peragere diuina myſteria, vt ante facere conſueuerat, cogeretur, certis locis ſacella amplius viginti, excitauit.

Primarius lapis in fundamenta iaci ſolitus, IESV nomine inſculptus.

Hic humilis quamuis, celſas lapis erigit ædes;
Hoc fundata Polum tecta ſuperba petunt.
Fortius vtque ille infoditur, ſic machina ſurgit
Fortior, & ſæuas deſpicit alta minas.
Tu ſacer es, Franciſce, lapis, tibi tẽpla cohærent,
I nunc, & ſtygias concute Pluto fores.



Ad Commorinum Promontorium :

Vbi S. F. Xauerius cum opportunitatem suggesti humilis camporum planities, & solitudo negarent, occursantium cacumina arborum, vnde diuina semina longè, latèque iactaret, ascendebat; tanto in suis mox fœcundiora segetibus, quanto, & solertioribus essent excussa manibus, & terræ sinu auidiore, concepta.

Pulpitum.

Dum viridi staret quercus Dodônia trunco,
Visa est fatidica carmina fronde loqui.
Secta silet: scopulis ni fortè allisa reclamet
Præda procellosis, ludibriumque Notis.
Hæc tua vera magis populis oracula fudit,
Dum viruit lætis arbor opaca comis.
Cæsa, renarranti rerum decora alta tuarum
Seruiet, in laudes officiosa tuas.

Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S. F. Xauerius cum fortissimo Badagarum Ethnicorum agmini Neophytorum in vicum, in quo ipse tùm erat, irrumpenti, fide, non ferro protectus occurrit, furentesque Barbaros adeo vultu ipso, verboque conterruit, vt illi tantæ constantiæ obstupefacti miraculo, partim metu, partim pudore perfusi, sponte diffugerint.

Clypeus.

Consistat latos acies lunata per agros,
Irato armatus fluctuet ære dies.
Ferrea telorum densentur nubila cœlo,
Lętiferisque ruens ingruat imber aquis.
Vnicus innumeros armatos fundet inermis,
Hic mihi Dux Clypeus, deinde triumphus erit
Quid mihi delibem armatæ fera robora pubis?
Tutus in hoc Castro quilibet esse potest.



Ad Commorinum Promontorium.

Vbi S. F. Xauerius ad cædem aliquandò, vt ſæpè aliàs quæſitus à Barbaris, in arbore pernoctans, præſens periculum, Deo magis, quàm arbore, aut nocte tegente, vitauit.

Sacra vmbella.

Solis ab auratis radiorum vmbella ſagittis
  Protegit, expanſo celſa quot orbe tegit.
Xaueriùm contra telis armata Iuuentus
  Fulminat; & promptam porrigit arbor opem.
Scilicet orando, fragili vel in arbore, tutus
  Arborea hoſtiles luſit ab arce manus.
O' miras experta vices vmbella! Beato
  Haud ſolem excludis, claudis at ipſa ſinu.



TRAVANCORIS ORA. IIX.

Ad Commorinum Promontorium.

In qua S. F. Xauerius nouum Ecclesiæ campum, non continentium modo laborum rigauit imbre, sed nonnulla etiam sui Barbarorum sagittis eliciti sanguinis effusione, fœcundauit.

Sagittæ multæ ordine dispositæ; & rectæ.

Barbarus intortis crinitur tempora telis,
Cum ferus impauido prælia Marte mouet.
Scilicet hostiles, quæ sunt domitura phalangas
Tela, nigrum velant, vitta cruenta caput.
Sanguine tu madidas crini, ceu serta, sagittas
Insere: erit sacris ampla corona comis.
Et ne purpureo gemmæ in diademate desint,
Multa tui in gemmas gutta cruoris abit.



MA-

MANARIA INSVLA.

Quæ per Sacerdotem à S.F. Xauerio missum ad Christianos traducta ritus in Patino pago, quem Iasanapatanius tyrannus odio nouæ ab incolis susceptæ religionis, armis iuuasit, sexcentos martyres, nuper satæ suis in terris fidei primitias, obtulit cœlo.

Rosarium rosis purpureis plenum.

Quæ nitido cernis vernare rosaria cœlo,
Et mortale horrere solum, superisque repentè
Floribus admixta in noua sese intexere serta;
Indica non fudit sterili de viscere tellus,
Tartareis latè squalentibus obsita dumis:
Francisci ast exsudati peperere labores
Sanguine, signata æternis quò semina campis.
O' fortunati tali de semine flores!
Vos non tempus edax infesto dente lacesset,
Contundetuè Draco; mira tanti arte coloni
Quos cruor educit terris, amor educat astris.



Commorinum Promontorium .

In quo S.F.Xauerius cum cognouiſſet idolum à Neophyto quodam eſſe conſecratum, tanti facinoris indignitate commotus, protinùs ſacrilegis tectis inijci iuſſit ignem; vt pœnæ magnitudo cæteros à tam nefario ſcelere abſterreret.

Fax .

Sacrilegis acies tectis vulcania ſæuit,
Et furit in vanos relligioſa *Deos.*
Ipſe pio tantos æſtu Xauerius ignes
Excitat, & iuſtas conijcit ipſe faces;
Punit, & vltricis flammæ crepitante fragore,
Quid profit Chriſti linquere caſtra, docet.
Sic eadem admoto ſontes depaſcitur igni,
Et rutilo tenebras lumine teda, fugat;




CAMBAIA.

Indiæ regio.

Vnde cum S. F. Xauerius Ceilanum versus rediret, naui, qua Cosmus Agnesius adamantem vigintiquinque, aut triginta nummum aureorum millibus æstimatum, ad Ioannem Lusitaniæ Regem mittebat, naufragij prædixit periculum, naufragium precibus auertit.

Adamas auro illigatus in bullæ morem.

Quem vexit puppis tumidas adamãta per vndas,
Destinat incolumem crinibus çqua tuis.
Hic precibus, Francisce, tuis ceu mollibus auris,
Ereptus pelago litora prima petit.
Ergo tibi insertum niteat, famulaque reponat
Luce, decus flammis seruiat vsque suis.
Luce adamas gemina: stellasq; imitatus Olympi
Æternum sacris disce sedere comis.



OCEANVS INDICVS. I.

Per quem iter faciens S. Franciſcus Xauerius guttum oleo exauſtum, diuina vi rurſus impleuit.

Lampas.

Aurea quę nitido iaculatur fulgura vitro
Lampas, & ęterno penſilis igne micat;
Parua tuę quamuis virtuti incendia nutrit,
Non paruo incenſum pectus amore refert.




CEILANVS INSVLA. I.

Vbi S. F. Xauerius Michaelem Fernandum calculo laborantem, re diuina pro illo facta sanauit.

Malleus.

Conterit obducto conclusum viscere saxum,
Et morbum nulla Pœonis arte leuat.
Hinc chalybē tūdēdo habilē rata vota ministrāt,
Et lapidis mollit lacryma duritiem.
Hoc etiam contusa ruunt simulacra Deorum,
Scilicet à Christo dextera pondus habet,




CEILANVS INSVLA II.

In quam S. F. Xauerius transmissus, nauis gubernatorem à perdita vita singulari prudentia reuocauit.

Pyxis nautica cum membrana hydrographica.

Errabat maris infidi vaga pinus in vndis,
Nauitaque ad Stygias iam properabat aquas.
Cũ subito melior monet alta à puppe Magister,
Non hac, infelix, itur ad astra via.
Deserit hic puppim dubiæ iam nescius artis,
Xauerius, dixit, iam mihi rector erit.
Me, duce Xauerio, lacrymosa per æquora vectũ
Excipiet portu terra beata suo.




OCEANVS COMMORINENSIS. I.

In quo S. F: Xauerius aduersa sæuiente tempestate septem ipsos dies sine vllo penitus cibo traduxit.

Cameleo qui aere victitare dicitur.

Dum timidũ intrepidus sulcat Xauerius æquor,
Et ferus inuersas proruit Eurus aquas;
Septenum in solem ieiunia protrahit ægra:
Nec tamen vlla sitis, nec premit vlla fames
Vota, precesque Deo taciturno concipit ore;
Huius crediderim vota, precesque cibum.
Cameleo ventis, & molli pascitur aura,
Cœli aura, atque ipso vescitur iste Deo.




OCEANVS COMMORINENSIS. II.

In quo nautis vela facientibus cum S. F. Xauerius gubernatori Nagapatanum reuertendum esse, quòd sæua impenderet procella, prædixisset; & gubernator, cœli, marisque specie deceptus, nihilo secius porrò pergeret, repente fœda coorta tempestas Nagapatanum repetere subegit nauim.

Mergus, qui tempestatem præuidens, ex medio æquore ad littus reuolat.

Si raucus bibulis immurmuret æstus arenis,
Et vento tumeat sollicitante salum:
Auolat, & repetens desertas Mergus arenas
Edocet incautas bella parata rates.
Nauta Malabaricis cur non meliora sequutus
Omina, Xaueri ligna repellis aquis?
Audiet hunc stridens Aquilonibus æquor, ideq;
In littus referet sæua procella ratem:
In tenebris iaceant refugi sic omina Mergi,
Mersus penè mari certius omen habes.



MELIAPORA. I.

In India.

Vbi S. F. Xauerius in æde S.Thomæ Apostoli sepulcro religiosissima, cum ad orandum nocte intempesta de more surgeret, à Dæmonibus inter ardentes preces truci fremitu, horrendisque clamoribus atrocissimè cæsus, nec institutam ea nocte precationem abrupit, nec à nocturna illa orandi consuetudine discessit, adeo tartareas illas potestates irrisit.

Palma.

Hostes quid timeam? mihi scuta latentia cortex
Texit, & armatas subrigit hasta comas.
Dant animos plagæ: victa imperterrita vinco,
Oppressa assurgo, pondere facta leuis.
Talis in infernos se munit,& irruit hostes,
Qui simul & scutum Diuus,& hasta sibi est,



MELIAPORA. II.

In India.

Vbi S. F. Xauerius cum in eodem S. Thomæ Apoſtoli templo, nocte concubia, vti ſolebat, oraret, ſempiternos humani generis hoſtes precationi obſtrepentes, & clericorum inuicem canentium choros per ludibrium imitantes, vt cui terribiles eſſe non poterant, ei moleſti ſaltem ferent, quid canerent nihil admodum attendens, eluſit.

Fiſtula, qua dulce canenti volucrès auceps decipit.

Fruſtra, vbi vi ſæuus iam victus Auernus aperta,
  Orantem in Diuum ſubdola tela parat.
Quem ſtygia ficti ſic captat imagine cantus,
  Blanda velut ſtultas fiſtula captat aues.
Scilicet hæc altum volucris petit æthera pennis,
  Quas ſacro *D*iuus pectore figit amor.
Nec potis eſt Orci cantus demittere in aures,
  Carmina qui ſuperis emodulata bibit.


MELIAPORA. III.

In India;

Vbi S. F. Xauerius lumine collustratus Ioannis Duri occultum scelus, adornatæque fugæ secreta consilia conspicatus, cum ei nihil tale opinanti, *Peccasti Ioannes, peccasti*, ingeminasset, hominem adeo conterruit, vt expiato per pœnitentiam animo, & abdicata quam faciebat mercatura, totum se ad abditum Euangelij thesaurum inuestigandum, receperit.

Speculum cœlo obuersum,

Hæc tibi, Xaueri, quorsum specularia figo?
  Vittrea? num forti hæc dona dicanda viro?
Talia virtutum speculo, quo pectoris imi
  Proditur arcanum, debita dona fero.
Cœlo cuncta patent speculum te, Diue, sereno
  Obuersum cœlo, quid latuisse potest?



MELIAPORA. IV.

In India.

Vbi vir nobilis per vitiorum ſalebras errabundus S. F. Xauerij ſilentio ipſo, in virtutis reuocatus eſt viam.

Lapis milliarius cum manu, viæ Index.

Errabat per ſaxa miſer, per & inuia cœlo,
Dum ſequitur curſus, dire Cupido, tuos.
Hic donec taciturnus iter monſtrauit Olympi,
Et vero errantem duxit in orbe lapis.
Fortunata ſacræ, & facunda ſilentia linguæ,
Non poterat melius lingua deſerta loqui.
Laus maior tacuiſſe fuit: ſi plura loquuta
Eſſet, feciſſet forſitàn illa minus.



COROMANDELVM.

In India.

Vbi S. F. Xauerius naufrago cuidam mendico, qui ad eum venerat petitum aliquid opis, atque ſubſidij, benignè facturus cum ſuæ egeſtatis immemor in ſaculum ſuum inſeruiſſet manum, nihilque prorſus inueniſſet; ſublatis in cœlum oculis, mendicum confidere diuinæ largitati iuſſit, tum manum inanes rurſus in loculos iniectam, aureis nummolis (fanoos incolæ appellant) plenam eduxit, protinuſque pecuniam diuinitus ſuppeditatam naufrago elargitus eſt omnem, ſatis ipſe inexhauſto diuinæ ſpei theſauro diues.

Acerra, ſiue thuribulum.

Non mihi, quod donis cupiam contendere tecũ,
  Aris offertur diues acerra tuis.
Quis Crœſus, diueſque Midas te vincere certet,
  Aurum cui largè ſydera ſufficiunt?
Arcaque ſuppeditat nũquã vacuanda Tonantis,
  Quas grauido tellus viſcere condit opes.
Exiguum ne temne decus; nec fronte ſeuera
  Rex hominum temnit munera parua Deus.

MA-

MALACA. I.

In aurea Cherſoneſo.

Cuius celeberrimæ vrbis incolas adeò Ethnicorum conſuetudine deprauatos, vt vitiorum nec turpitudinem ſentirent, nec remedia ferre poſſent, S. F. Xauerius mira adortus arte, ad Chriſtianæ ſtudium pietatis illexit.

Magnes ferreos annulos trahens.

Captiuat ferrum, vinclisque iugalibus arctat
  Magnes, dum tacitus fœdera ſancit amor.
Maior, *Diue*, tuo regnat ſub pectore magnes,
  Qui ſibi, qui Chriſto barbara corda trahit.
Durum ibi magnetis ſibi formam adſciſcere ferrū
  Abnuit, ingenium quod fuit ante, manet.
Barbaries oblita ſuos hic impia ritus,
  Protinùs in mores immigrat acta ſuos.



MALACA. II.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius adoleſcentem (Antonium Fernandũ nuncupatum) qui Diabolo exagitante linguæ vſum amiſerat, & ſimul in periculoſum inciderat morbum, diabolo ſimul, & morbo liberauit.

Ceruus, qui fonte à ſerpentibus, & vulneribus liberatur.

Ite procul peſtes, angues procul ite ſub Orcum
Tartarei, in Stygios præcipitate lacus.
Es mihi, Xaueri, tu fons, ego ſaucius vndas
Ceruus anhelanti pectore quæro tuas.
Tu ſimul & mentes, Xaueri, & corpora ſanas;
Quæ celebras Chriſti numina Sanctè refers.




MALACA III.

In aurea Chersoneso.

Qua in vrbe S. F. Xauerius vario morborum genere laborantes, aut recitato Euangelio, aut manuum impositione curauit, & S. Pater haud aliter quàm in India, vulgò est appellatus.

Lapis Bezoarius.

Indus in Hesperias misit medicamina terras,
Plurimus optatam sensit & æger opem.
Funere quem Lachesis iam iam mergebat acerbo,
Huic Bezoario puluere facta salus.
Vnus in Eoum Franciscus mittitur orbem;
Cum subito medicam sensit adesse manum,
Mitigat hic morbum, lætheis extrahit vndis,
Dat sceleris puras tollere ad altra manus.
Obijce nūc vario grauidas medicamine puppes,
Cum sit tot populis vnus inempta salus.



MALACA. IV.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius in cubiculo è floreis noctes in cœleſtium rerum contemplatione, diuiniſque laudibus ante Chriſti crucifixi imaginem genibus nixus traducebat, orationis magis, quàm ſomni memor.

Luſcinia, quæ noctes totas canit tepente præſertim cœlo.

Nocte ſub arenti dulces luſcinia cantus
　Integrat, & queruli s verberat aſtra modis.
At tu, Xaueri, carpunt dum cuncta quietem,
　Cœleſtes curas irrequietus alis.
Ac meliore ſono vaga peruigil aſtra moraris,
　Dum fundis ſacras corde gemente preces.
O' quantum iſta melos luſciniâ dulciùs edit!
　Illa homines mulcet, ſed trahit iſta Deum.



MALACA. V.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerio humus pro lecto, pro ceruicali ſaxum fuit ſatis, vt appareat eum in quiete capienda nihil minus amaſſe, quam quietem.

Saxum Iacob cum ſcala.

Hæc perpetuis optata malis
Requies curis ſternere ſaxo
Aſperiori ſollicitum caput?
Refugit ſomnus ſaxa tenellus:
Mollis lapides neſcia ferre
Lapideſcet ceruix in callos.
Non depellunt marmora ſomnos;
Sic ſtellanti cubat Iſacides
Sub Ioue ſaxum rude ſupponens,
Ceu ceruical tenerum collo.
Oculis liquida cernit luce
Fulgida veri numinis ora.
Aſpera pandunt marmora cœlum
Fera ſupponens capiti ſaxa
Franciſce ſapis. Fallimur omnes,
Dum molliculas ſequimur plumas.
Iter ad ſuperos aſpera ſternunt,

MA-

MALACA. VI.

In aurea Chersoneso.

Vbi S. F. Xauerius omnibus pietatis officiis assiduè dabat operam adeò cibi, ac potionis oblitus, vt sæpe biduum ieiunus, triduumue traduceret; diuino videlicet abunde pastus obsequio.

Iuniperus sub qua sit subcinericius panis, & vas aquæ.

Iuniperus texit Tesbitæ vmbracula vati,
 Et releuat longam limpha, Cerésque viam.
Pasceris esurie, Francisce, & pectoris æstum
 Sole repercussum littus, & vnda leuat.
Tantus amor sacros Christo glomerare maniplos
 Educit culto quos tua dextra solo.
Quod si non auido parerent arua colono,
 Sanguine sparsa tuo cresceret alta seges.



MALACA. VII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius Malacenſis fœminæ filiam, quam ipſe nuper ad Chriſtum adiunxerat, excitauit à mortuis.

Campus cum ſpica.

Qualis ſpica ſolet culto flaueſcere campo,
  Talis Franciſci viua puella manu.
Illa caput putris terræ ſub viſcera condit,
  Pulcrior vt grauidas exerat inde comas.
Corruit hæc etiam: Diui at rediuiua fauore
  Corpora de terris viuidiora tulit.
Illam permulcent auræ, ſol lumine firmat,
  Frugifera labens educat imber aqua.
Dum tenebras, æſtus, maculaſque è pectore tergit
  Franciſcus, ſol huic, imber, & aura fuit.



MALACA. VIII.

In aurea Cherſoneſo.

Quam vrbem S. F. Xauerius, vt non minus veræ humilitatis, & ardentis charitatis exemplo ad decus impelleret, quam prodigiorum magnitudine raperet in admirationem, vbi ſol ſe conderet, & opacare nox terras inciperet, totam obiens, ciues tintinabulo excitatos ſubinde ſolemni carmine admonebat, vt pro cruciatis purgatorio igni animis, proque hominibus ſcelerum veterno ſopitis, diuinam clementiam implorarent.

Campana.

O' quam felices ſemper formatur in vſus
Machina tinnitus fundere docta pios!
Trudendæ præbebat opem ſub Tartara turbæ,
Dum vocat ad ſacras excita corda preces.
Et miſeros flamma populos purgante leuabat,
Dum geminat querulos te quatiente ſonos.
At nunc, Diue, tuæ reſonat de culmine turris
Lætior, & populos ad tua ſacra ciet.


MALACA. IX.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius luſitano inſtitori Indiam petituro tempeſtatem, & incolumitatem prænunciauit.

Delphin.

Delphin curuato ſimulans Thaumantida dorſo,
  Nauibus iratas vectat, & arcet aquas.
Dũ choreas chorus ipſe agitat, ſaltuq. per æquor
  Se telum arcipotens, arcus & ipſe iacit.
Iam, tua, Xaueri, complet quod pectora numen,
  Sentit, & imperijs ſe vouet ille tuis:
Per te ſecuros proflare è pectore ſomnos,
  Et poterit placido terga rotare ſalo.



SEMORRVM.
Oppidum ad Malacam.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius cum ab accolis barbaris mali dæmonis inſtinctu lapidibus, ac ſagittis acrius premeretur, ingenti trabe, quæ vix à magna hominum manu moueri potuiſſet, & in aggere fluminis in transſuerſum defixa, obſtabat fugæ, haud ægrè ſummota facilem receptum habuit, hoſteſque rei ſtupore, ac miraculo defixos ab inſequendo deterruit.

Machina bellica, Aries dicta.

Dum te letiferis agitat, Franciſce, ſagittis,
 Et ſæuam intentat barbara turba necem
Imperijs impulſa tuis trabs deſtitit ingens,
 Cum trabe funeſtæ deſtitit ira manus.
Trabs aries, Franciſce, fuit, quo ferrea corda,
 Implacidamque potes vincere barbariem.
O' noua quam fugiens meruit victoria! pugna
 Quid facies, victor ſi potes eſſe fuga.

MALACA. X.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius Luſitanum militem ſexcentis aureis aleæ ludo amiſſis, triſtem, inopemque conſilij, aleam popoſcit, ſuaque manu permiſtam reddens, repetere ludum iuſſit, amiſſa recuperaturum; ſed recuperatis, ludere pergentem inhibuit, & ab alea ſic auertit, vt eam deinde in manus ſumere ſuſtinuerit numquam.

Patena.

Damnoſo nummos auerterat alea ludo:
  Auxilium præbes, ſponte ſequuntur opes.
Inde cupido fugit rabidis affixa medullis,
  Et ludo æternum dicitur exilium.
O' felix damnum! fuerat, quis credere poſſet?
  Vincere certa lues, perdere certa ſalus.
Ergo age pro meritis in ſacram verſa patellam,
  Seruiat authori gaza recepta ſuo.



MALACA. XI.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius mercatori, qui ſeptem domi ſuæ alebat verbo ancillas, re vera pellices, admirabili quodam, diuinoque artificio paulatim ſingulas detrahendo, detraxit vniuerſas; ad extremum ipſum etiam ad peccata confeſſione expianda perduxit: mulieres illas honeſtè collocandas curauit, haud in multiplici morbo ſanando, quàm in morbi cauſis in perpetuum tollendis, prudentior.

Flumen varijs riuis diductum, & exſicatum.

Dum miſeros ardor depaſcitur improbus artus,
Et ſeptena vno in pectore flamma furit.
Tu vires rabido, Xaueri, ſubtrahis igni,
In cinere & cecidit flamma ſepulta ſuo.
Diducta in varios olim ſic flumina riuos,
Sponte ſua ſiccum deſeruere vadum,
Quod ſi torrentes tendas compeſcere fluctus,
Compulſa in cumulum ſæuius vnda tumet.
O' quantas cœleſtis habet prudentia vires!
Improbus illi etiam ſpicula cedit amor.

MALACA XII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi cœleſtem iram ciuibus impendentem, ſæpius pro concione prædixit.

Cornix.

Vt rauco pluuiam,& nubes vocat improba cãtu,
 Damnaque venturi præſcia cantat auis.
Sic mihi diuino præcordia concitus æſtro,
 Cædibus, & bellis nubila fœta canis.
Improba ſed cornix tantum diuina malorum eſt
 Ipſe mala vt proſint ingenioſa doces.



MALACA. XIII.

In aurea Chersoneso.

Vbi S. Franc. Xauerius in sacro faciendo diuina visublimis à terra conspectus.

Vniuersi Globus.

Ponderibus librata suis stat in æthere tellus,
Astraque perpetuo turbine rapta meant.
At dum sacra facit Xauerius æmulus astris,
Æmulus & terris, implet vtrasque vices.
Mente choris superum iunctus metitur olympũ,
Pondere sublatum pensile corpus habet.



MALACA. XIV.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius Iudæum eruditum illum quidem, ſed (quod illius gentis vitium proprium eſt) peruicacem, nec minus ipſius Xauerij, quàm veritatis irriſorem, adeò flexit, vt in contrarium mutatus è pertinaci Iudæo probus, ac pius fieret Chriſtianus.

Velum ſacri calicis.

Stulta animo tandem ſapientia victa proteruo
Ecce ſacros Diui concidis ante pedes.
Felix ſorte tua, talis quam dextra ſubegit,
Cui ſpecioſa vltro cedere palma fuit:
I memor, & ſuſpende ſacras velamen ad aras,
Hoc domito, ſpolium victor ab hoſte petit.



Cuius cum præteritum à se portum ratus nauis gubernator, grauiter angeretur, desperans posse iam aduerso vento destinatum teneri locum, S. F. Xauerius gubernatorem bono animo esse iussum, nondum nauim locum, quem crederet, præteruectam, & postridiè mane eum ipsum portum, quem peteret, esse capturam, diuinitùs denunciauit.

Astrolabium.

Credis in incerto iactari, nauita, ponto,
  Fluctiuagamque times,
Siue errore viæ, seu tempestatibus actam,
  Ne voret vnda ratem?
Ne tantos tibi finge metus, qui certa supernæ
  Arma Mathesis habet,
Franciscus tibi monstrat iter: iam tuta per altas
  Nat tua puppis aquas:
Hoc duce, non portu tantum potiere cupito,
  Sed potiere polo.



Amboinus Insula II.

Cuius in portum Lusitanos à duobus piraticis myoparonibus, quos fugiebant, incolumes esse peruenturos S. F. Xauerius, qui eadem cum ipsis scapha vehebatur, vaticinans affirmauit.

Laterna nautica.

Nautica perspicuo in noctem fax condita cornu,
Puppibus incertum pandit amica diem.
Æquoreum rimatur iter, syrtesque repostas,
Vibrat in hostiles lucida tela rates.
Quid tua, Xaueri, quærat sibi lampada Pinus,
Qui portum monstras, atque futura canis?
Noctem non solis radios funali a vincunt,
Illum quod latuit, sol nouus ipse vides.



Amboinus Insula III.

Vbi S. P. Xauerius Ioannem Arausium mercatorem pecuniarum retinentissimũ paulò post in ea ipsa Insula moriturum, & eius bona in vsum pauperum cessura, prædixit.

Annulus, in quo gemmæ loco sit Mortis effigies.

Aspicis, vt dubio fulgens micet annulus auro,
Vt capita inter se Mors pretiosa figet!
Gemma est summa dies vitæ cedentis auari,
Semper inops nihil hac ditius ille habuit.
Quis credat! mentita nouũ Mors improba vultũ
Lucida congestas accubat inter opes.

Alluditur ad Põtif. Maximũ Alexãdrum VII., qui Annulorum donatione, in quibus Mors vicè Gemmæ est insculpta, animos sibi desponsat.

Hercules Catena ex ore homines, ad se trahens:

Alcidem sileat nimis ambitiosa vetustas,
Torque catenatos detinuisse Viros.
Nàm Tu mortales aurata Morte reuincis,
Et Tuus Armilla hac, pectora sponsat Amor.

AM-

Vbi Cosmus Turrianus ad eam diem, per Oceani blanda discrimina, sequutus multo inferiora tot ærumnis, & mortibus præmia, ex ipso S. F. Xauerij conspectu eam pectore concepit flammam, vt ad eius institutum aggregare sese, totumque ad mansura, æternaque animarum lucra transferre statuerit.

Phœnix:

Qualis Apollineus pennis gemmantibus ales
 Attrahit alatus ad sua iura choros.
Talis virtutum, Xaueri, vbi lumina pandis
 Subiicit imperio se pia turba tuo.
Tu sed Apollineo nobis magis alite fulges.
 Virtutisque tuæ gloria maior adest.
Quo trahat ille suos proprios ostentet honores
 Est opus, & quicquid corpore seruat opum.
Tu licet obscuris condas tua dona latebris
 Nos magis allicies, quo mage condis opes.




TERNATE INSVLA. I.

Vbi S. F. Xauerius Io. Arausium mercatorem, quem in Amboino breui moriturum prædixerat, mortuum diuinitùs cognouit, & inter sacrum faciendũ conuersus ad populum, Io. Arausij, qui eodem temporis articulo in Amboino (abest autem à Ternate Amboinus passuũ millia amplius ducenta) expirasset, animam vt Deo commendarent, admonuit.

Statua Nabucodonosori in somnis visa, prostrata, & comminuta.

In se magna ruunt aurum, chalybumque metalla
Obruta, ponderibus procubuere suis.
Dum canis aerio decussum monte lapillum,
Congemuit magno tracta ruina sono.
Teque cadens cecinit vitæ, mortisque potentem,
Et nixas docuit puluere diuitias.




TERNATE INSVLA. II.

In Molucco.

In qua S. F. Xauerius media repente, quam habebat, abrupta concione, ab auditoribus contendit, vt Ioannis Galuani (quem amici propediem expectabant, ipse prophetico illustratus lumine naufragio diem obiisse cognouerat) iam vita functi animam Deo commendarent.

Tympanum.

Sacra super, Francisce, tonas dum pulpita, vitæ
Galuano stamen mors inopina secat.
Tu superum monitu morientē conspicis absens,
Sollicitaque doces templa sonare prece.
Grata tibi sacrat resonantia tympana tellus,
Non potis apta magis dona sacrare fuit.
Nempe pijs te pulsat amor, ceu tympana, curis,
Hinc noua vaticina funera voce canis.



In Molucco.

In qua S. F. Xauerius Neachilem reginam Almanfororis Ridoris regis filiam, æterni ſpe regni erectam, ad baptiſma, vnicam ad illud ianuam, induxit.

Corona ſpinea ſuper coronam auream.

Franciſco debes, qui dumis conſerit aurum,
Vt ſeruent gazas ſpinea ſerta tuas.
Bella moues Orco Chriſti vittata ſagittis,
Armatoque viges vulnere tecta caput.
Vulnera quid dicam terebrantes tempora dumos,
Dum vulnus nullo vulnere cuſpis agit! (ro,
Macte Virago animis, haud ſpinas quæris in Au
His Roſa ſub ſpinis Aurea ſemper erit.



Quam omni ad ſalutem adiutore deſtitutam S. F. Xauerius adiutum ire cum decreuiſſet, amicis barbara Mauricorum ingenia, veneno paſſim, ferroque graſſantium, nec ab humanarum carminum eſu abhorrentium, obiicientibus, & properantem remorari adimendo nauigio nitentibus, affirmauit Deo ſe nixum, & velut incubantem, ſi nauis deforet, in Mauricam tranſnataturum.

Suber in aqua.

Vt leue flumineas ſuber ſuperinnatat vndas,
Et vada ſecuro cortice ſumma legit:
Sic tibi, cum ſocij nauim, Franciſce, negarent,
Per tumidos fluctus impetus ire fuit.
Scilicet alma fides puppis, ſpes aura fuiſſet,
Vela animus; remus nauita; portus amor.



MAVRICA REGIO II.

In qua S. F. Xauerius Deum ſequi vocantem certus, amicis eum à propoſito reuocare fruſtra conatis, & quod vnum reſtabat præſentiſſima quæque remedia aduerſus Mauricorum venena cum lacrymis certatim ad eum afferentibus, gratias egit, ſed remedia inuicto reiecit animo, preces apud Deum popoſcit, quibus nullum certiùs diceret eſſe remedium.

Rhinoceros.

Oblatum impauidus cur Rhinocerota recuſas?
Sæpè ſubit viles mors inopina dapes.
Par ſuperis virtus: conſpirent agmine mortes,
Præcipitent illis ſæua venena gradum.
Quid noceant gelidi lætalia frigora viri,
Dum tua vitalis pectora torret Amor?



MAVRICA. REGIO III.

Vbi S. F. Xauerius cum horrendis terra motibus quateretur, trepidantibus omnibus, vnicè ſecurus, inſtitutum ſacrificium conſtanter peregit.

Phoca, ſeu vitulus marinus, qui in tempeſtate dormit.

Hic tua, Diue, maris vitulus nunc pectora ſignat
  Fortia, vel dura neſcia morte quati.
Sæuiat immenſis licet vndis fluctibus æquor,
  Illi vtroque ſedet lumine blanda quies.
Tu trepidos inter ſtas imperterritus ore,
  Qua iuga terribili mota fragore ruunt.
Fortunate nimis tibi quæ ſint otia pacis
  Tempore, qui læta hæc fronte pericla vides.



MAVRICA REGIO. IV.

In qua S. F. Xauerius inter maximas; longèque grauiſſimas egeſtatis, æſtus, famis, ſitis, laborum, periculorum ærumnas, tantis, tamque continuis diuinis voluptatibus affluebat, vt Mauricam in primis aptam, atque appoſitam eſſe diceret ad oculorum aciem ex iucundiſſima lacrymarum vbertate, perdendam.

Exigua in Oceano inſula, in qua fons aquæ dulcis.

Aſpicis, vt dulci exiliat de marmore riuo,
  Vt trepidet puro garrula limpha pede?
Dum pelagi ſæuo quatiuntur verbere ripæ,
  Et furit inuerſis Doris amara vadis.
Sic tibi, Diue fluunt dulces in pectora riui,
  Inque tuos felix labitur vnda ſinus.
Effera dum ſæuo rabies effunditur æſtu,
  Dulcibus & curis miſcet amaritiem.
Barbaries pelagus, nectar diuina voluptas,
  Dura labor rupes, fons tibi pectus erat.

MAVRICA REGIO. V.

Cuius incolas inaudita feritate barbaros S. F. Xauerius Euangelicis præceptionibus, quibus ingentem eorum imbuit multitudinem, & partim à Mahumeto, partim ab Idolis ad Christum traduxit, mirum in modum mansuefecit.

Leones sub curru.

Aspicis vt placida veniunt sub fræna leones?
  Hoc mihi Francisci mellea lingua dedit.
Non ille implacidas armato milite gentes,
  Dulcibus attraxit sub sua iura modis.
I nunc & sensus Orpheum mulsisse ferarum,
  Saxaque dura lyra, fabula prisca cane.
Verus hic est Orpheus, qui relligione feroces
  Pacauit populos: fabula prisca tace.



TERNATE INSVLA IV.

In Molucco.

Quam ex Mauricâ reuisens S. F. Xauerius denuò excoluit, multis, & in ijs duabus Regis Aerij sororibus, ad Christi fidem, & salutare lauacrum adductis.

Baptisterium marmoreum, sub quo nassæ, retia, cannæ piscatoriæ iaceant.

Non benè defensæ scelerum sub flumine turbæ
Præda Deo trahitur, cui fuit esca Deus.
Retia ne quæras, aut lento vimine nassas,
Ipsa Deo hic pisces, quos parit, vnda capit.



OCEANVS TERNATENSIS.

Per quem S. F. Xauerius Amboinum repetens, in medio curſu hominem eo ipſo tempore in Amboino à prædonibus interfici, Deo indicante, cognouit.

Vultur.

Quid te Xauerio depaſtus corpora vultur
  Sacras? obſequijs non eget ille tuis.
Fallor: an vt volucris ſpirantia funera ſentit,
  Vt det vitales mors aliena dapes.
Sic tu præſagis nantem confinia mortis,
  Naufraga dum ſoluit putrida membra ratis?
Quis nunc eſſe neget ſontes tibi pabula mentes?
  O' Diuis pariter grata Deoque fames.




AMBOINUS INSULA V.

Cuius in portu cum Lusitanorum onerarias quatuor S. F. Xauerius offendisset, vt nautis, vectoribusque simul, & incolis eadem consuleret opera, in ipso littore modicam sibi è stramentis casam, eodemque opere iuxtà sacellum, vbi sacramenta ministraret, extruxit.

Crocodilus.

Septa tibi stipulis, cannaque intorta palustri
Ad littus surgit parua sine arte casa.
Sic Cocodrilus amat sedes mutare liquentes,
Et ripæ herbosis se cubuisse locis.
Ille quidem vt noceat, tu læto vt littore presens
Sentiat auxilium terra, fretumque tuum.



BARANVLA INSVLA.

In cuius littore S. F. Xauerius Christi in crucem sublati effigiem, quam linea suspensam sedandæ procellæ in mare ab ipso demissam vis tempestatis, loco diei itinere inde dissito, abstulerat, à marino relatam cancro, qui beata, onustus merce summas per vndas ad eum rectà contendit, in genua prouolutus, mistas inter gaudio lacrymas venerabundus accepit.

Cancer marinus.

Vndisonæ frænos pontus laxauerat iræ,
Et mors è summis bella mouebat aquis.
Cum sacra quæ subito, Xaueri, accingeris arma,
Furaci, irrumpens corripit vnda, manu,
Æquoreoque crucem cancro transmittit: at ille
Haud me cælesti munere dignor, ait:
Exemplo bifidos in remos explicat vngues,
Et tibi depositum per vada summa refert.
Sume animos cancer: cœlum te præferet Argo,
Nec tibi se posthac conferet vlla ratis.



AMBOINVS INSVLA. VI.

Vbi S. F. Xauerius inter concionandum diuino instinctus spiritu, auditores subitò rogauit, vt pro Iacobo Gilo classis Lusitanæ præfecto, eodem temporis puncto in Ternate (quam Insulam ab Amboino amplius ducentis passuum millibus distare iam diximus) animam agente, supplices flexis genibus orationem dominicam, & salutationem angelicam recitarent.

Pauo, qui vbi præter solitum canit alicuius mortem præsagire dicitur.

Quæ tibi diuinæ referat mysteria mentis
  Lux, hominum casus cernere posse dedit.
Sæuior en miserum te mors absente lacessit,
  Miscet & expulso funera dira metu.
Collacrymas alio funus sub Sole sodalis,
  Nec misero ex oculis irrita gutta cadit.
Dicitur arcano prænoscere funera sensu,
  Insolitos Pauo dum ciet ore sonos:
Ille tamen pictis longinqua haud cernit ocellis,
  Argus tu vigili lumine cuncta vides.

AMBOINUS INSULA. VII.

Cuius in littore à S.F.Xauerio,ita erecta crux, vt terra, marique conspici, & adorari posset, multis est illustrata miraculis.

Crux aurea.

Quàm merito figis magni vexilla Tonantis,
Qui Phlegetonteo victor ab hoste redis.
Vicisti æthereis inuictus miles in armis,
Vexillum victrix figere dextra potest.
Prodigijs radiata nouis Crux lignea fulsit,
Fulgeat & meritis aurea facta tuis.




AMBOINVS INSVLA VIII.

Vnde S.F. Xauerius Malacam discessurus, cum à Gonzalo Fernando in regiam nauim inuitaretur, constanter abnuit; & cur tantopere recusaret, rogitanti, futura diuinitus præsagiens animo, diuinam illis, qui ea veherentur, vltionem, quam experti deinde in itinere sunt, denuntiauit.

Echinus terrestris, qui impendente tempestate ad cauernam se recipit.

Cerulea in nimbos vbi nubila cogit Orion,
Tranquilloque parat bella mouere mari.
Prouidus extemplò perteptat Echinus in antrum,
Vt non læsuris decidat imber aquis.
Haud secus instantes pelagi Xauerius iras,
Numinis actutum voce monente fugit.
Et fugit haud vano perterritus ille timore,
Sed pius vt subeat corda aliena timor.



MALACA. XV.

In aurea Chersoneso.

Vbi S. F. Xauerius cœleste visum Ioanni Duro absenti oblatum, diuinitus cognitum, eodem Duro, qui sæpius interrogatus abnuebat, & pernegabat, vltrò ipsemet illud narrare orsus, singula perindè, ac si præsens adfuisset, persequi cœpit.

Duo specula sibi inuicem opposita, vt imago, quam ab eorum altero refertur, in alterum reflectatur.

Oppositi è nitido speculi fulgore resultans
Viuit in obiecto lucida forma vitro.
Et propria quod luce nequit, splendore refuso
Obtinet, inque alio clarior orbe micat.
Hoc tibi, Xaueri, cum Duro contigit olim,
Dum visum oblatum nocte silente vides.
Dat speculum Durus, speciem dant visa; nitescũt
Pectore sed melius visa aliena tuo.

MALACA. XVI.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F.Xauerius Ioanni Duro, nihil tale opinante, prædixit fore vt Franciſcanum amplecteretur inſtitutum, in eoque diem obiret.

Genethliaca deſcriptio.

Fatorum quiſquis ſeriem rimatur in aſtris,
  Erranti cœcum lumine tentat opus.
Fallitur, & fallit dum cœlum incerta pererrant,
  Inuoluuntque vagis flexibus aſtra dies.
Franciſcum certa ſtabilis qui lege futuras
  Fatorum ſeries conficit, ille docet.
Præſagus certo ſignat ſic limite mores,
  Et faciunt dictis congrua facta fidem.
Si labyrintheis deluſus ductibus anceps
  Volucris, hic certo tramite pandet iter.



MALACA. XVII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius nauim, qua Ioannes Durus in Indiam vehendus erat, extremum adituram, & ſuperaturam periculum vaticinatus eſt, & vaticinatione in ipſo periculo ab eodem Duro expoſita, omnem omnibus trepidationem exemit.

Toboſpicilium, ſeu Teleſcopium.

Rimatur gemino ſolers induſtria vitro,
  Ima quod & tellus, ſummus & orbis habet:
Ars tibi victa tamen cedat, cui mentis acutos
  Ante oculos, tamquam facta, futura micant:
Illa quidem longo ſcrutatur diſſita tractu
  Sydera, ſed neſcit ſera quid hora vehat.
At tu venturas cernis mugire procellas,
  Et pelagi temni cœca pericla iubes.
It ſecura ratis: venti intumuere, ſed vnum,
  Et violenta pati, & vincere flabra, fuit.



MALACA. XVIII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius claſſis in Acenos chriſtiani nominis hoſtes accerrimos comparandæ munus ſuſcepit, & milites ad eam delectos expeditionem, Ieſu Chriſti cohortem appellauit.

Vexillum rubrum in quo ſit nomen IESV aureum.

Infidos domitura hoſtes ſume arma: miniſtrat
  Chriſtus, fida cohors, hæc tibi, Diuus, ait.
Immo te proprio conſignat nomine IESV,
  Contritura hoſtem diceris eſſe cohors.
Aſpice, ſeſe aperit ſupero victoria ſigno:
  Crux micat ætherei clara trophea Ducis.
Aude, concides armis victricibus hoſtes,
  Non niſi vitali ſub cruce certa ſalus.




MALACA. XIX.

In aurea Chersoneso.

Vbi S. F. Xauerius pro vna submersa biremi, quæ Malacensium magnoperè turbauerat animos, duas eodem die, quæ instructam in Acenos classem augerent, superuenturas diuinitùs, prænuntiauit.

Alæ duæ.

Languebat classis fida viduata carina,
  Bellantumque ingens presserat ossa pauor.
Te duce, Xaueri, binæ venere biremes,
  Cumque nouo venit robore certa salus.
Inde tibi pubes binas memor obtulit alas,
  Vt merito laudes pandat honore tuas.
Nempe illis veluti binis victoria pennis,
  Impia præteriens ad pia signa volat.



MALACA. XX.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius nobiliſſimæ naualis victoriæ de Acenis Chriſtiani nominis hoſtibus ad Cambile promontorium à Luſitanis reportatæ, cuius admirabilis fuerat autor, admirabilior vates fuit; eodem die, & hora, qua congredi inter ſe aduerſæ claſſes cœperunt, ſecundiſſimo totius exitu pugnæ (haud ſecus quam ſi præſens intereſset, cum tamen amplius cc. abeſset paſsuum millibus) pro concione deſcripto, & die quo victores adfuturi reduces eſsent, deſignato.

Roſtra nauium.

Quam bene pulcra tuas victoria veſtiet aras,
Et coniuratæ roſtra inimica manus?
Auſpicijs, Franciſce, tuis in prælia pubes
Dum ruit, hoſtiles præda fuere rates.
Nemr, tibi certus ſemper volat ante triũphus,
Semper & inuictus victor ad arma venis.
Inde fuit laurus pugna, & certare tropheum,
Nam ductor, miles, ſignifer vnus eras.

MALACA XXI.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius die, qua Luſitanorum, Acenorumque claſſes decertauere, matres familias ſeparatim in alio templo pro concione ſolatus, diem etiam ipſum, quo die certus ad eas de ſuorum incolumitate, ac victoria nuntius eſſet venturus, diuinitus definiuit.

Columba oliuæ ramum oreferens.

Fluctibus è medijs ramum decerpit oliuæ
  Placatum referens miſſa Columba Deum.
At tu fatidico laurum felicior ore,
  Bellorum è ſummo gurgite ſponte, refers.
Paciferas frondes illa inter funera portat,
  Inter tu cæſos nuntia læta Duces.
Spem tamen optatæ pacis facit illa ſalutis,
  At multis in te millibus vna ſalus.



MALACA. XXII.

In aurea Cherſoneſo.

Qua in vrbe S. F. Xauerius Angerum Iaponium, qui eius excitus fama indè vſque ab Iaponia periculoſiſſimo leucarum circiter DCCCC. itinere, aduenerat Iaponiorum omnium primum ad Chriſtum conuertit.

Aries.

Ariete felicem Sol aureus incipit annum,
  Verna vbi purpureis tempora portat equis.
Tu Sol, Xaueri, præluſtris Iaponis oræ,
  Nox etenim ſcelerum, te veniente, fugit.
Incipis ecce nouas felici ex Angere luces,
  Meque meo primum ſydera, Diue, beas.
Cedite de noſtris mala nubila cedite terris,
  Sol venit, & prolem vertit in aſtra meam.




MALACA. XXIII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius nauiculario, cui pueros, quos è Molucco in Goanum tranſmiſſurus Seminarium abduxerat, Goam aduehendos commendauit, futuram tempeſtatem repentino diuini ſpiritus afflatu prædixit.

Teſtudo marina, quæ inſtante tempeſtate ab vndis emergit.

Conſilijs admiſſa maris teſtudo per vndas
Labitur, & ponti prodit amica dolos.
Arma legant nautæ, morſuque immiſſa renaci,
Vt firmet puppes, anchora tuta, monet,
Tu quoque, Xaueri, pelagi ad ſecreta vocaris,
Te niſi conſulto non tumet ira maris.



OCEANVS CEILANENSIS. I.

In quo S.F. Xauerius teterrima, quæ triduum tenuit, tempestate vexatus, sedato animo cœlestes omnes ordine depræcans, longe maiore perfusus est gaudio, quam deinde tanto defunctus periculo.

Coralia, quæ sub vndis mollia sunt, extra illas durescunt.

Coralij germen liquidis mollescit in vndis,
Extra natales sed lapidescit aquas.
Tu quoque, Xaueri, medias iactate per vndas
Liqueris, vt verno nix resoluta Noto.
At si securæ portum tetigere carinæ,
Stringeris vt duro cana pruina gelu.
Quæ tibi sydere a nunc affluit arce voluptas,
Naufraga cui nimbus nectaris vnda fluit?



Cuius regem & Christianæ religioni, & Indiæ gubernatori S. Franciscus Xauerius conciliauit.

Organa musica.

Musicus æratæ decrescit arundinis ordo,
Nec tamen inuerso murmurat aura sono.
Sed varijs exit cannis discordia concors,
Vnaque multifido dulciùs ore canit.
Tale tuum carmen dum regia pectora tendis
Conciliare homini, conciliare Deo.
Ordo fuit dispar Deus, atq. homo: dulcis vtriq.
Quæ regem adiunxit vox tua, Diue, sonus.



MALACA. XVI.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F.Xauerius Ioanni Duro, nihil tale opinante, prædixit fore vt Franciſcanum amplecteretur inſtitutum, in eoque diem obiret.

Genethliaca deſcriptio.

Fatorum quiſquis ſeriem rimatur in aſtris,
  Erranti cœcum lumine tentat opus.
Fallitur, & fallit dum cœlum incerta pererrant,
  Inuoluuntque vagis flexibus aſtra dies.
Franciſcum certa ſtabilis qui lege futuras
  Fatorum ſeries conficit, ille docet.
Præſagus certo ſignat ſic limite mores,
  Et faciunt dictis congrua facta fidem.
Si labyrintheis deluſus ductibus anceps
  Volucris, hic certo tramite pandet iter.



MALACA. XVII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius nauim, qua Ioannes Durus in Indiam vehendus erat, extremum aditu. ram, & ſuperaturam periculum vaticinatus eſt, & vaticinatione in ipſo periculo ab eodem Duro expoſita, omnem omnibus trepidationem exemit.

Toboſpicilium, ſeu Teleſcopium.

Rimatur gemino ſolers induſtria vitro,
  Ima quod & tellus, ſummus & orbis habet:
Ars tibi victa tamen cedat, cui mentis acutos
  Ante oculos, tamquam facta, futura micant:
Illa quidem longo ſcrutatur diſſita tractu
  Sydera, ſed neſcit ſera quid hora vehat.
At tu venturas cernis mugire procellas,
  Et pelagi temni cœca pericla iubes.
It ſecura ratis; venti intumuere, ſed vnum,
  Et violenta pati, & vincere flabra, fuit.



MALACA. XVIII.

In aurea Chersoneso.

Vbi S. F. Xauerius classis in Acenos christiani nominis hostes accerrimos comparandæ munus suscepit, & milites ad eam delectos expeditionem, Iesu Christi cohortem appellauit.

Vexillum rubrum in quo sit nomen IESV aureum.

Infidos domitura hostes sume arma: ministrat
Christus, fida cohors, hæc tibi, Diuus, ait.
Immo te proprio consignat nomine IESV,
Contritura hostem diceris esse cohors.
Aspice, sese aperit supero victoria signo:
Crux micat ætherei clara trophea Ducis.
Aude, concides armis victricibus hostes,
Non nisi vitali sub cruce certa salus.




MALACA. XIX.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius pro vna ſubmerſa biremi, quæ Malacenſium magnoperè turbauerat animos, duas eodem die, quæ inſtructam in Acenos claſſem augerent, ſuperuenturas diuinitùs, prænuntiauit.

Alæ duæ.

Languebat claſſis fida viduata carina,
  Bellantumque ingens preſſerat oſſa pauor.
Te duce, *X*aueri, binæ venere biremes,
  Cumque nouo venit robore certa ſalus.
Inde tibi pubes binas memor obtulit alas,
  Vt merito laudes pandat honore tuas.
Nempe illis veluti binis victoria pennis,
  Impia præteriens ad pia ſigna volat.



MALACA. XX.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius nobiliſſimæ naualis victoriæ de Acenis Chriſtiani nominis hoſtibus ad Cambile promontorium à Luſitanis reportatæ, cuius admirabilis fuerat autor, admirabilior vates fuit; eodem die, & hora, qua congredi inter ſe aduerſæ claſſes cœperunt, ſecundiſſimo totius exitu pugnæ (haud ſecus quam ſi præſens intereſſet, cum tamen amplius cc. abeſſet paſſuum millibus) pro concione deſcripto, & die quo victores adfuturi reduces eſſent, deſignato.

Roſtra nauium.

Quam bene pulcra tuas victoria veſtiet aras,
Et coniuratæ roſtra inimica manus?
Auſpicijs, Franciſce, tuis in prælia pubes
Dum ruit, hoſtiles præda fuere rates.
Nempe tibi certus ſemper volat ante triũphus,
Semper & inuictus victor ad arma venis.
Inde fuit laurus pugna, & certare tropheum,
Nam ductor, miles, ſignifer vnus eras.


MALACA XXI.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius die, qua Luſitanorum, Acenorumque claſſes decertauere, matres familias ſeparatim in alio templo pro concione ſolatus, diem etiam ipſum, quo die certus ad eas de ſuorum incolumitate, ac victoria nuntius eſſet venturus, diuinitus definiuit.

Columba oliuæ ramum ore ferens.

Fluctibus è medijs ramum decerpit oliuæ
  Placatum referens miſſa Columba Deum.
At tu fatidico laurum felicior ore,
  Bellorum è ſummo gurgite ſponte, refers.
Paciferas frondes illa inter funera portat,
  Inter tu cæſos nuntia læta Duces.
Spem tamen optatæ pacis facit illa ſalutis,
  At multis in te millibus vna ſalus.



MALACA. XXII.

In aurea Cherſoneſo.

Qua in vrbe S. F. Xauerius Angeram Iaponium, qui eius excitus fama indè vſque ab Iaponia periculoſiſſimo leucarum circiter DCCCC. itinere, aduenerat Iaponiorum omnium primum ad Chriſtum conuertit.

Aries.

Ariete felicem Sol aureus incipit annum,
  Verna vbi purpureis tempora portat equis.
Tu Sol, Xaueri, præluſtris Iaponis oræ,
  Nox etenim ſcelerum, te veniente, fugit.
Incipis ecce nouas felici ex Angere luces,
  Meque meo primum ſydera, Diue, beas.
Cedite de noſtris mala nubila cedite terris,
  Sol venit, & prolem vertit in aſtra meam.



MALACA. XXIIII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius nauiculario, cui pueros, quos è Molucco in Goanum tranſmiſſurus Seminarium abduxerat, Goam aduehendos commendauit, futuram tempeſtatem repentino diuini ſpiritus afflatu prædixit.

Teſtudo marina, quæ inſtante tempeſtate ab vndis emergit.

Conſilijs admiſſa maris teſtudo per vndas
Labitur, & ponti prodit amica dolos.
Arma legant nautæ, morſuque immiſſa renaci,
Vt firmet puppes, anchora tuta, monet,
Tu quoque, Xaueri, pelagi ad ſecreta vocaris,
Te niſi conſulto non tumet ira maris.



Cuius regem & Christianæ religioni, & Indiæ gubernatori S. Franciscus Xauerius conciliauit.

Organa musica.

Musicus æratæ decrescit arundinis ordo,
Nec tamen inuerso murmurat aura sono.
Sed varijs exit cannis discordia concors,
Vnaque multifido dulciùs ore canit.
Tale tuum carmen dum regia pectora tendis
Conciliare homini, conciliare Deo.
Ordo fuit dispar Deus, atq. homo: dulcis vtriq.
Quæ regem adiunxit vox tua, Diue, sonus.



GOA. III.

In India.

Vbi S. F. Xauerius sæpe intempesta nocte, fixo in Cœlum oculorum obtutu in hortis domesticis inambulans, totusque ex Dei cogitatione, atque amore pendens, obseruatus est, præ nimia superfundentis se cœlestis dulcedinis copia, exclamare, *Sat est Domine, sat est*.

Vas aqua è fonte in illud deriuata, redundans.


Vasis vt exultans labris exuberat vnda,
Fusaque per varias labitur vna vias;
Sic tua, Francisce, exundat mens nectare cœli
Ebria, delicias nec capit ipsa suas.
Ergo sat inclamans, sat nectaris æthere fluxit,
Claude voluptatis flumina, claude Pater.
Pectora quin potius tibi mille exposcis, vt omnes
Æterni possis claudere fontis opes?
Si capere haud omnes potes: aspice pectora circũ
Quot tuus æthereis nutriet imber aquis.

In India,

Vbi S. F. Xauerius cum ſæpè inter diuinas contemplationes, abalienato à ſenſibus animo, diù permanſit, tum aliquando quatuor continentes horas extra ſe raptus per vrbem errabundus, nihil quid ageret ſentiens, inambulauit, cœli potius incola, quàm terrarum.

Rota currus.

Hæc etiam leuis ante tuas rota pendeat aras,
Effigies vitæ non dubitanda tuæ.
Omnibus, vt cælo ſe partibus ardua tollit,
Atque imam puncto vix rota ſignat humum;
Sic tua perfectum dum vita rotatur in orbem,
Corpore obis terras, ſydera mente ſubis.
Scilicet æthereus te ſpiritus intus agebat,
Priſco agiles viſus vati animare rotas;



G O A. V.

In India.

Vnde S. F. Xauerius longa nauigatione suscepta, vt militem penè ad extremum perditum, qui satiscente spe salutis duodeuigesimum iam annum sacra abstinebat confessione, cum Deo si posset, conciliaret, postquam comiter appellando, assidendo ludenti, omnibus obsequijs demerendo hominem sibi deuinxisset, & ad veram denique scelerum pœnitentiam induxisset, ritè absolutum Pater, & Aue semel orare iussit, reliquam eius debitam facinoribus pœnam in se recepit, mox proxima in sylua tergum sibi aculeato flagello acerrimè pulsans, & lacerans, eum plagarum crepitu excitum, vsque adeo flexit, vt anteactæ vitæ maculas ipsemet deinde voluntarijs elueret pœnis, & rectè factis delicta sarciret.

Oliua.

In te iusta pias posuit clementia Sedes,
Vel tunc cum sequitur debita pœna scelus:
Verteris in Patrem Iudex, alienaque pendis
Crimina, sic Iudex diceris, atque reus.
Hic tibi clementis ramus frondescat oliuæ:
Sit tua, quæ quondam Palladis arbor erat.

INDIA. I.

Vbi S. F. Xauerius tunicam à pectore vi orationis æstuante diducere solitus, quasi diuini amoris incendium vel aucturus euentilando, vel diffundendo, cum alijs communicaturus.

Malus punica vnico insigni malo aperto.

Mala tibi munus diducto punica libro,
 Certa animi fuerint hæc monumenta tui.
Illa rudi viuas condunt sub cortice gemmas,
 Tu tacito æthereas pectore claudis opes:
Illa rubro, dum dulce micant, velamine fracto
 Diuitias iactant ambitiosa suas.
An tibi dum sacro nudatur pectus amictu,
 E medio diuus pectore flagrat amor?



INDIA II.

Vbi S. F. Xauerius aspectu semper non solum adeo iucundo fuit, vt ægris solatium, valentibus lætitiam afferret, sed etiam eiusmodi, vt intuentes ad beatæ vitæ studium, & rerum cœlestium amorem excitaret.

Virgæ in canalibus, quas oues inspiciant
Allusio ad virgas, & oues Iacob.

Dum varias liquido spectat sub gurgite virgas,
 Virgati fœtum velleris edit ouis.
In te virtutum quisquis simulacra tuetur,
 Conceptam effigiem per pia facta parit.
Isacidum Princeps Terras, at sydera ditat
 Xaueriusque homines edocet, ille pecus.



BAZAINUM. I.

Vbi S. F.Xauerius Malacensis ciuis conscientiam, quam multis contaminatam sceleribus diuinitus vidit, impenso pœnitentiæ Sacramento salutariter expiauit.

Aquila.

Regia dum volucris transmittit nubila pennis,
Depresso ad terras lumine celsa videt.
Squâigerosque greges liquido sub gurgite nâtes
Aspicit occultas ire, redire vias.
Sic tu rimaris clausæ penetralia mentis,
Quæque latent imo crimina corde, legis.
Quippe tibi exacuit diuinus lumina Phœbus,
Cui tenebræ fulgent, noxque fit ipsa dies.



GOA. VI.

In India.

Vbi cum S. F. Xauerium à Badagis Christanæ religionis hostibus crudeliter interemptum mendax fama vulgasset, omnes non Lusitanos tantum, indigenasque Christianos, sed Mauros etiam, Ethnicosque in veras amarissimasque compulit lacrymas. Tanta erat omnium in Sanctissimum virum optime de omnibus meritum beneuolentia.

Vestis polymita sanguine tincta.

Concreto Isacides turpatam sanguine vestem,
  Ex oculis salso fonte cadente lauat.
Fons est esse Patrem procliui tramite semper
  Defluere in sobolem flumen amoris amat.
Hic tamen ascendit Francisci in funere proles
  Haud dubitat pariter cum moriente mori.
Falsa sed extincti manauit fama Parentis,
  Gaudiaque haud falsus congeminauit amor.



GOA. VII.

In India.

Vbi falso, quem diximus rumore de S. F. Xauerij morte dissipato; de tanto, tamque testatæ Sãctitatis viro in Sanctorum numerum per Romanum Pontificem referendo statim agitari cœptum, & XXX. nummum aureorum millia ad eius corpus à barbaris redimendum oblata.

Amygdala florens.

Prima virens niueos effundit amygdala flores
  Prima suis vertit tempora verna comis.
Vos primi Diuo præbetis munera, magnis
  Non nisi post cineres munera danda viris.
Illa quidem fatuo signatur nomine planta
  Iucundum quod ver prouocet ante diem,
Vestra tamen sapiens inscitia, Floraque præcox
  Iam iam venturi nuntia veris erat.
Viuite securi: virtutibus inclyta veris
  Nunquam immaturus pectora sacrat honor.



ARMVZIA.

Insula, & vrbs ad sinus Persici fauces.

Quam vt omnium fermè nationum ad celeberrimum orientis emporium concurrentium frequentia nobilem, ita omnium ferè sectarum colluuione contaminatam S. F. Xauerius per P. Gasparem Berzæum suæ disciplinæ alumnum, sanctimonia, & miraculis clarum repurgauit.

Lignum in aqua; illius Symbolum, quo Moses aquas amaras in dulces conuertit.

Ingratis cognatus aquis prohibebat amaror,
 Isacidas riguo pellere fonte sitim.
Vnda tamen virus, crudumq. oblita saporem est,
 Ostenso vt Moses robore mouit aquas.
Sic scelerum fœdo manans Armuzia tabo,
 Lympha Erebo fuerat dulcis, amara Deo.
Xauerius Mosi, ligno respondet alumnus,
 Nectar prisca nouum fundit amarities.

CANONORINVM.

Arx inter Goam, & Cocinum:

Vbi S. F. Xauerius quendam ad peccatorum confessionem sæpius frustra incitatum, cũ in saltum frequentibus palmis consitum, per speciem animi relaxandi, duxisset, ac subito deposita veste, in eius conspectũ tergum suum flagro aculeis ferreis sanè aspero strenuè diuerberans, exclamaret, se eius causa id, quicquid esset supplicij, subire, vt cœlestem ab eo iram auerteret; stupentem illum, & attonito similem, sanguine, quem pro se, fundi videbat respersum, impulit vt in genua procumbens confessionem, quam tantoperè fugerat antea, vltro iam flagitaret.

Pelicanus.

Quãtus amor prolis! proprio vel sanguine natos,
Gestijt æternis progenuisse plagis.
Nempe sibi immeritas aliena ob crimina pœnas
Ingeminans, casto membra cruore rigat.
Notum, ait, extinctum reuocabit vulnus in auras:
Hanc artem arte tua me, Pelicane, doces
O bene fuse cruor, bene caesi corporis artus,
Vnde datũr vita nobiliore frui.
Mors nõ dehinc toto procul exulet orbe, vel ipso
Si vitam sæuo vulnere gignit amor.

INDIA III.

Vbi S. F. Xauerius in puerum ægrum, & vlcerosum incidisset, misericordia captus substitit, mox alleuatum in humeros suos extulit, complexusque fouit, dictitans Deus te sanet: quibus verbis iterum, aut tertio enuntiatis puerum sanum, ac vegetem matri restituit.

Hyssopi planta.

Francisci votis sanies concreta per artus,
Flamine ceu Zephyri nix resoluta fluit.
Munditijs simplex fulget, nitidusque iuuenta,
Vt matutino caltha renata die.
Non apud immemorē stat gratia: munera sacrat
Hyssopi, atque suam liberat ille fidem.



Cuius tot per populos, non minus lingua, quam moribus diſſidentes, ita S. F. Xauerius priuatis colloquijs, publiciſque concionibus, Chriſti fidem legemque circumtulit, vt linguarum dono ſe præditum, ſatis oſtenderit.

Linguæ igneæ.

Vt vox in populis diuerſa, ſed vna ſonaret,
Cum populi in laudes victoris Cæſaris irent,
Non ego demirer; maior iam laudis origo
Franciſcus, qui voce vna diuerſa ſonabat.
Aure hauſit voces Hiſpanus, & Indus eaſdem,
Mente bibit ſenſus Hiſpanus, & Indus eoſdē,
Vel labio electo cœleſti in Sede Beatis
Promiſſo fruitur, vel certe huic ignea līgua eſt.



Inter Goam, & Cocinum.

Ad quam cum aquandi neceffitas nauigium, quo S. F. Xauerius in Iaponiam vehebatur applicuiſſet, aliis ab aquatione in nauim vela facturam reuerſis, ipſe qui vnus deſiderabatur diù per littora fruſtra quæſitus, tamdem in ſeceſſu repertus, vbi Deo, haud paullo videlicet meliorum aquarum fonte fruebatur, alienatus à ſenſibus.

Heliotropium.

Cerne tuum comitem lucis fons inclyte, vultu
Te ſequitur, quâquâ radice in Tartara tendat.
Cernam ego Franciſcum, toto qui ſydera vultu
Proſpicit, atque animo Cœlis affixus inhæret.
Ille breui occiduus cultu potietur amato,
Hunc ſuus æternũ Phębus ſuper aſtra beabit.



CO-


COCINVM.

In India.

Qua in vrbe S. F. Xauerius Iacobi Medeiræ animum, scelus quoddam molientis diuinitus introspexit, & à scelere auersum expiauit.

Lynx.

Lumine num credam muros peruadere lynces ?
Scilicet id mendax nonnisi fama tulit
At te cum cœco, Xaueri, abstrusa recessu
Corda vides, quanto lumine fama feret?
Mutua vel tibi diuinum sua lumina numen
Lumina vel plusquam lyncea ferre dedit.



Vnde S. F. Xauerius ad S. Ignatium, quem semper aut benedictum, aut sanctum appellare, & cuius adhuc viuentis nomen ex illius præcisum literis, è collo suspensum in sacra lipsanotheca circumgestare consueuerat, nonnisi prouolutus in genua literas exarabat.

Arbor, quæ pomis grauatos ramos ad terram inclinet.

Aspicis vt proprio curuatur pondere ramus,
Ac velut altricem lambere tendit humum.
Quo magis illa suum fructu cumulauit alumnum,
Hoc magis hic curuo vertice dona refert.
Sic te, Xaueri, virtus vt plurima tollat,
Altum plus iusto nil tamen ipse sapis.
Loiolæ hinc adeo flexo dum poplite scribis,
Curuaris proprijs arbor onusta bonis.



INDIA VI.

Vbi non in diuinis modò, ſed in humanis etiam negotiis, ita diuina quædam in S. F. Xauerio ſpecies elucebat, vt qui cum illo verſabantur, veneratione capti, oculos, vultumque, quaſi alterius Moſis, nequirent aduerſum intueri.

Velum, ſeu faſcia complicata ad oculos obtegendos.

Carbaſinæ Moſes prætentu veſtis inumbrat,
Quos fundit radios plurimus ore Deus.
Hoc, Franciſce, tuos condas velamine vultus,
Et quod ſydereo vibrat ab ore decus.
Quæ radiant vtrinque à Sole petuntur eodem
Lumina: ſed Moſes his nocet, ipſe iuuas.
Ille hebetat viſus, acuis tu corda: nitorem
Conde tuum, Moſes; detege, Diue, tuum.



In quo S. F. Xauerius cum rostrata nauis qua vehebatur, tempestate subito iactata apertum naufragii adiret periculum, & mortis imminentis species omnium animis obuersaretur, Francisco Iacobo Sosæ nauarcho, cæterisque qui aderant bono esse animo iussis, vaticinatus est nauim eodem ipso die sub vesperam sedata tempestate portum esse capturam.

Portus.

Spes inter fluctus titubat germana salutis,
Dum rapida horrisonas increpat aura minas.
Xauerium vehis, & quateris formidine puppis,
Cui pelagus motæ murmure plaudit aquæ?
Parce metu; tecum ipsa nouum, licet inscia, portũ
Inque tuo gestas littora tuta sinu.



MALACA. XXIV.

In aurea Cherſoneſo.

Cuius vrbis Vicarium de æterna ſalute deſperantem, & inſanientem, S. F. Xauerius ad mentis reuocauit ſanitatem, & ad ſpem ſalutis erexit.

Pſalterium Dauidicum.

Fila canora puer tetigit Ieſſeus, in ictu
Spiritus exceſſit regali corpore: mentes
Franciſcus vitę meritis componit, & vſum
Ille animi ęgrotis reddit, qui liber aperta
Corporeę ſuper aſtra volat ſine pōdere molis.




MALACA. XXV.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius Garziæ Sà Indiæ gubernatoris longiſſime abſentis, & optime tunc valentis mortem intra duos menſes ſubſecutam prædixit.

Hedera Ionæ cum verme ad radicem.

Olim hederę patulo recubās ſub tegmine Vates;
Haud tenuem ſenſit fronde latere feram;
Quę teneram tacito radicem dente momordit,
Et rapto virides lœſit honore comas.
Scilicet humanę ſunt hæc ſpectacula vitæ,
Quam tacitè adrodens mors inimica rapit.
Sed mala|cęca hominū qāuis mors lumina fallat,
Non potis eſt viſus fallere, Diue, tuos.



Collegia Societatis IESV.

In India.

Quæ S. Franciſcus Xauerius ad Chriſti fidem propagandam, & proximorum ſalutem procurandam inſtituit.

Tentoria.

Indica Tartareus quondã Dux ſceptra regebat,
Caſtraque deuicto fixerat atra ſolo.
Tu cœli ductor latè tentoria figis,
Victor & ad pugnas agmina ſacra nouas.
Et iam ſupremi fas eſt vexilla Tonantis,
Et ſuperum nobis candida ſigna ſequi.
Dexter ades tamen, & cœptas ne deſere laudes,
Creſcent auſpicijs noſtra trophea tuis.



Per quem S. F. Xauerius Iaponiam versus piratico vectus lembo; & sæuissimæ vim tempestatis, & barbaram Ethnici nauicularij perfidiam, & horrendas dœmonum minas, insidiasque inuicta constantia superauit.

Polypus Scopulo adhærens.

Qui pelagi piscis scopulis immobilijs hæret,
Quamuis ventorum sæua procella fremat.
Ille tuæ, Francisce, refert virtutis honores,
Quæ styga, quæ nautas, quæ superauit aquas.
Scilicet hærebas rectori affixus Olympi,
Et triplici firmus robore molis eras.
Gaude, Xaueri, cessit violentia Ditis,
Cessit nauta ferus, cessit & ira maris.
Sic te, Diue, vnum non vnus perculit hostis,
Non vnum auxilium, non fuit vna salus.



OCEANVS SINENSIS. II.

Quo fluctibus intumescente, cum nauis quæ S. F. Xauerium in Iaponiam vehebat, iactis anchoris fluitaret in salo, vnus ex eius comitibus Emmanuel Sina in apertam forte sentinam prolapsus, capite grauiter vulnerato, diu exanimis iacuit, eiusdem tamen precibus tandem surrexit incolumis.

Littera Θ in tabella, qua olim ad mortem damnati significabantur.


Lapsus erat superante infelix gurgite, & alto
Concisus lapsu iam moriturus erat.
Sed tua, Diue, citas tardauit funeris alas,
Et mortis sæuam dextra benigna manum.
O' verus vitæ princeps! quo præside mortis
Dira fugit cuspis, vitaque lapsa redit.
Iam nota quæ fuerat lacrymosi funeris index,
Vitæ index aras pendeat ante tuas.



Per quem cum Ethnicus Nauarchus quod minus læta de Iaponia nauigatione responsa ab Idolo ductis sortibus redderentur, institutum cursum in aliquem Sinarum portum auertere, obfirmato animo constituisset, vento S. F. Xauerii votis obsecundante volens, nolens in Iaponiam coactus est flectere.

Velum nauticum.

Hospitium præbet velum venientibus austris,
 Inque suo crescit spes magis aucta sinu.
Sic tibi spes secura magis; licet Eurus in vndis
 Dux equitans tumidum tollit in astra fretum.
Christum ventus, Christi veneratus alumnum,
 Vt Imperij frænos sentit & ipse tui.




CANGOXIMA I.

In Iaponia.

Cuius in vrbis portum S. F. Xauerius die Assumptæ in cœlum Virgini sacro, inuitis nautis, & reluctante Satana, deportatur, Christi fidem in Iaponiam, ipsa in primis fauente, viamque aperiente Deipara, primus intulit.

Porta aperta.

Regina ætherei quondam duce, & auspice regni,
Fixisti fidei candida signa tuæ.
Scilicet hac monstrante viam tunc sydera primū.
Condidici prolem vincere posse meam.
O' quo te, Francisce, colam, aut te munere Virgo!
Ambos porta satis scilicet ista colet,
Diue mihi superæ fueris tu ianitor arcis,
Ianua tu fidei maxima, Virgo, meæ.



CANGOXIMA. III.

In Iaponia.

Vbi S. F. Xauerius vna cum socio in preces effusus; Ethnici hominis filiam immatura morte sublatam ab inferis excitauit.

Bombyx è serico inuolucro euolaturus.

Vitali Bombyx mollissimus emicat orbe,
Primum vbi se membris vita renata nouat,
Quique suam tumulat pretioso vellere vitam,
Hic æuo reparat nobiliore dies.
Casta puella iaces properatis obruta fatis,
Et tua succiso flore iuuenta perit.
Quæ tamen imperium Francisci sensit, & auris
Reddita, Solem iterum penè sepulta videt.
O fortunatam quæ Diui voce refloret,
Vitaque cui prisco pullulat ore prior.



CANGOXIMA. III.

In Iaponia.

Vbi S. F. Xauerius pusionem ægrotum totum tumentem, ac turgidum, sublatum suas in vlnas, & aliquoties sic affatus *Benedicat tibi Dominus*: pulsis tumoribus sanitati restituit.

Pusio argenteus.

Magne Pater, medica cui cedit in arte Machaon,
  Cedit cum nato victus Apollo suo.
Hæc tibi depulsi sacro monumenta tumoris,
  Tanto pro nati munere grata parens.
Stet puer argento fictus licet, oreque muto,
  Muto etiam laudes concinet ore tuas.



CANGOXIMA IV.

In Iaponia.

Vbi S.F. Xauerius ciuem alium locupletem, & honestum alta scabie, & lepra respersum, qui eum per internuncium rogauerat, vt ad se curandum ne grauaretur accedere, per socium, quem excusatis occupationibus, pro se misit, & ter interrogare Christianusne fieri vellet, annuentemque, ducta manu in morem crucis signare iussit, repente sanauit.

Vipera.

Vipera, quæ sanat calido perfusa falerno
 Ægra Elephantiaca squamea membra lue.
Impetat occultis eadem si sæua venenis,
 Lætali incautos subdola mente necat:
Sæpius ægrorum sortem miseratus iniquam
 Tu pellis medica vulnera fœda manu.
Mulcenti cedit dextræ vis improba morbi,
 Assiduaue fugit cedere iussa prece.
Quin pius, & sacro potis es libamine sparso
 Iure elephantiacis certior esse salus.


CANGOXIMA. V.

In Iaponia.

Vbi maledico conuitiatori S. F. Xauerius *Caueat*, inquit, *ori tuo Deus*: repente cancro distortum, & corrosum est os, vt quoties hisceret, ac fari vellet, toties intortæ in Dei famulum contumeliæ veniret in mentem.

Serra.

Stulte quid exacuis liuoris tela? cruorem
Ah nescis meritum per tua membra bibent.
Nubila quid spargis? nubes trãscendit Olympus
Xauerij, & virtus tuta serena tenet.
Os tibi dilaceras: teritur sic serra terendo,
Vis tibi se referant ora retorta? tace.



CANGOXIMA. VI.

In Iaponia.

Vbi Bonziorum Iaponicæ ſuperſtitionis antiſtitum odio furentium, quod Chriſtianis inſtitutis ſua inſtituta conuelli ſentirent, factione, S. F. Xauerius vnà cum ſocijs in vitæ diſcrimen adductus, petulantiſſimæ multitudinis non irriſiones tantum, & probra, ſed impetum etiam, & lapidationes ſæpius tulit.

Varij lapides pretioſi.

Quid ruis in rerum temeraria turba potentem,
Aut quid denſata grandine ſaxa rotas?
Virtutis monimenta iacis, con feſſa triumphos
In ſua victori gemmea ſerta paras.
Quid non Xauerio voluerunt Aſtra licere,
Cui dura in gemmas vertere ſaxa licet?



ARX


ARX IAPONICA I.

Inter Cangoximam, & Firandum.

Cuius incolæ à S. F. Xauerio euangelica perfuſi luce, flagellum, quo ipſe ad corporis verberationes vti conſueuerat, ad morbos depellendos feliciter conuerterunt.

Flagellum.

Vt percuſſa ſilex dominantis verbere virgæ
Iſacidum populis eiaculauit aquas:
Sic tibi vulnificum lacerat dum terga flagellum,
Elicit Aligeris grata fluenta choris.
Intus agit plagas, miſeris bibit inde ſalutem,
Inque tuo medicam vulnere diſcit opem.



ARX IAPONICA II.

Inter Cangoximam, & Firandum.

In qua litaniæ Sanctorum S. F. Xauerij manu descriptæ, ac Neophytis ad orandum relictæ, ad pellendas etiam, fugandasque morborum acerbitates, & pestes valuerunt.

Turris Dauid, è qua scuta, galeæ, hastæ, enses, & similia arma pendeant.

Hæc Turris circum, quam Cœli regia vallat,
  Omnigena armato viscere tela gerit.
Inuictas olim Solymorum præstitit arces,
  Dauidicasque alto vertice fulsit opes.
At mihi militiam Franciscus scripsit Olympi,
  Ex hoc obsequijs excubat illa meis.
Sic quod Idumæis Cœlo dedit edita turris,
  Hoc mihi Francisci parua tabella dedit.



FIRANDVM.

In Iaponia.

Vbi S. F. Xauerius paucis diebus, Deo famuli sui laboribus annuente, magnam Christianæ fidei sementem fecit.

Ager cultus.

Hæc tibi fœcundo tellus sudore rigata,
Xaueri, & forti sollicitata manu;
Iactum olim semen concepit læta salutis,
Atque auido fouit continuitque sinu.
Tu prohibe nimios imbres, ventumq; furentem,
Centeno vt surgat fœnore læta seges.



MEACVM I.

In Iaponia.

Quam vrbem Iaponiæ totius amplissimam cnm S. F. Xauerius Amangucio, vbi iam aliquot Christianos effecerat, digressus, peteret; & in itinere quoque Christum vt se dabat occasio, prædicaret, fustibus est, & lapidibus à barbaris cæsus.

Baculus cum funda, & quinque lapidibus.

Blanda Philisteo mutans psalteria bello
  Porrectum immani corpore strauit humi.
Claua fuit baculus, teretes tormenta lapilli,
  Lorica ætherio tecta adamante fides:
Sic tu bella moues cæsus trepidanda furori,
  Arma tibi fustes, & catapulta lapis.
O' poteris quantum, Heroum fortissime, agendo,
  Xaueri; tantum si patiendo potes.



MEACVM. II.

In Iaponia.

Quo S. F. Xauerius nudis pedibus per vias alta niue, geluque conſtratas, aſſo intereà tantum cicere victitans, vim omnem, aſperitatemque frigoris, famiſque vna in Deum, & proximos temperante charitatis flamma, contendit.

Pollubrum cum guttis duobus, è cryſtallo montana.

Apta tuis montana ſacris cryſtalla dicamus
E glacie, nudo quæ tibi preſſa pede.
Parua piæ, tu Diue, manus ne munera temne,
Grande tuus pretium pes quibus ipſe facit.



MEACVM: III.

In Iaponia.

Quam ad vrbem, vt certum Ducem, & virum gnarum (tota præsertim illa regione bellis flagrante, & latrocinijs infesta) S. F. Xauerius haberet, Meacensi equiti famulum se adiungere, herique impedimentis, cum suis sarcinulis (hoc est sacro missæ instrumento) elatis in humerum citatis gessibus præcurrentem subsequi herum, non dubitauit.

Brauium.

Alas nectit amor pedibus, præuertere ventos
Sic, Francisce, potes: currenti præmia vestes
Incensas auro peregrina Ripangica promit
Barbara mater acu pinxit, ludebat, & ostrum
Matutina suum vrgebat: noua sacra per aras
Nũc tibi cõsurgũt, nouus hic labor induet aras.



MEACVM. IV.

In Iaponia.

Quò S. F. Xauerius durissimo anni tempore itinere asperrimo proficiscens, adeò in Deum intento ibat animo, vt victis cœlesti dulcedine sensibus nudos pedes ad lapides subinde offensaret, in vepres indueret, sineque vllo prorsus doloris sensu cruentaret.

Tapes purpureus.

Dum festina mouet crebris vestigia dumis
  Purpureo durus sentis ab imbre rubet.
Ilicet hic riguo facilis rosa purpurat ostro,
  Et subitas molli vibrat ab orbe faces.
Sic meliore rosas pingis, Francisce, rubore,
  Qua Dea ficta suo pinxerit imbre suas.
In serta ò possim tibi debita plectere flores,
  Adnatamque pedi composuisse rosam!
Siue tuis iterum flores substernere plantis,
  Vt durum mollis planta voraret iter.
Vrit hyems flores: tibi sterno vicaria florum
  Stragula, purpureis inuidiosa rosis.


MEACVM. V.

In Iaponia.

Quam ad vrbem cum iter S. F. Xauerius intenderet, non ſemel barbarorũ ſagittis in fretorum traiectu petitus, ſemper diuini præſidio numinis euaſit incolumis.

Arcus, & pharetra.

Tela acuit, torquetque fero creberrima neruo
Iapon: & hæc languens irrita neruus agit:
Scilicet ærata fodiant fera cuſpide tela,
Cui meliore tegit pectus ab ære Deus.
Proijce tela manu, & neruum, Iaponia, Diuo,
Et facili neruum, telaque trade manu.
Ille tibi hoc arcu vibrabit ſpicula amoris,
Quæque furor fudit tela, remittet amor.



MEACVM. VI.

In Iaponia.

Quò S. F. Xauerius cum tenderet, & Christianam interim legem obuijs, & circumiacentibus populis promulgaret, bis ad necem extra oppida raptus est, bis horribili repentè coorta tempestate liberatus.

Duo lauri.

Nubila, Xaueri, cum te tutentur, & æther
Quàm benè laurigero cultus honore vires!
Lapsa timent laurum percellere fulmina Cœlo,
Te fugiunt diræ barbara tela manus.
Quin medios inter fulges felicior ignes,
Atque vbi mors alijs, hic tibi vita datur.



AMANGVCIVM. I.

In Iaponia.

Quam in vrbem S. F. Xauerius Meaco reuersus, vnius circiter anni spatio, maximum filiorum numerum per Euangelium in Christo genuit.

Struthio, qui oua visu fouere, & pullos excludere dicitur.

Oua cubans animat fœcundo Struthio visu;
Ceu sparso Phœbus conserit arua die.
Sed volucrem, & Solem Xaueri lumina vincunt,
Non nisi post longas hi peperere moras.
Vt vidit, Christo Xauerius edidit vrbes,
Quis credat! vitam in lumine Diuus habet.



AMANGVCIVM. II.

In Iaponia.

Vbi S. Franciſcus Xauerius claudo ingrediendi facultatem reſtituit.

Pardus.

Curſibus abripior Zephyri pernicior alis,
Ponè meos ſequitur feſſa ſagitta gradus.
Xauerio, vt libuit, claudus ſibi ſubligat alas,
Egreſſumque premit quemlibet ante notum.
Quæ mihi velocis ſurgat iam gloria curſus?
Quæ fuerant Pardi munia claudus obit.



AMANGVCIVM. III.

In Iaponia.

Vbi S. Franciscus Xauerius mutis duobus loquendi vsum obtinuit.

Psittacus.

An non diuini stimulatus honoris amore,
Humanum docuit reddere carmen aues.
Delusæ falso resonabant nomine syluæ,
Et nouus arbustis iam Deus Annon erat.
Clausa diu attonitus mutis cum nexibus ora
Sentis, Xaueri, iam resoluta prece.
Inde refers grates tanto pro munere, magnum
Francisci nomen vox geminata canit.
Humanis auium cantus vt laudibus æques,
Dic illas hominem, te cecinisse Deum.



AMANGVCIVM. IV.

In Iaponia.

Vbi S. Franciſcus Xauerius ſurdis duobus auditum impertiuit.

Lepus.

Hic lepus auriti ſignum haud ignobile ſenſus,
Quem ſignat ſenſum te reparaſſe notat:
Sed Lepori auditum natura nouerca ſagacem
Largita, æterno corda pauore quatit.
Tu, prece, quem reuocas, & nutu, Diue, potenti
Gaudia deterſo pura timore bibet.



AMANGVCIVM V.

In Iaponia.

Vbi cum in conuentu, plurimaque turba, eodem tempore multa à multis inter se discrepantia, maximeque disiuncta curiosissimè quærerentur S. F. Xauerius inaudito miraculo, sæpè ad omnia vno, eodemque responso omnibus fecit satis, ac si vnicuique separatim, propriéque respondisset.

Scopus, in quo multæ sagittæ infixæ.

Ferrea dum liquidas voluuntur tela per auras,
Multaque nigranti nube sagitta volat:
Sustinet innumeros dudum duratus in ictus,
Quoque magis teritur ferreus vmbo nitet.
In cassum Mystæ sapientia certat Eoi,
Teque instructa dolis irrequieta petit.
Dissona nam volucri rapiuntur murmura vento
Fatidico primum dum iacis ore sonum.
Sed noua quæ facies vmbonis tela repellens
Irrita, prostrato victor ab hoste redis.

AMANGVCIVM. VI.

In Iaponia.

Vbi S. F. Xauerius Christanæ fidei veritatem alijs compluribus varij generis miraculis, confirmauit.

Sigillum.

Dum vultus compressa nouos cerà induit: orbe
Concipit in paruo stemmata clara Ducum.
Concilianſque fidem dictis noua fœdera sancit,
Irrita ne signo charta notata foret.
Diceris Eoas percurrere nuntius oras,
Ignoto vt surgant templa dicata Deo.
Quin mortis fregisse minas, morboſque rebelles
Armatus sola perdomuisse prece:
Iam latè populos lustrali proluis vnda,
Prodigijs vitæ sub pia iura trahis.
Num Cœlo mandata feras demissus ab alto
Quis dubitet? summi signa Tonantis habes.




AMANGVCIVM VII.

In Iaponia.

Cuius Regi nec ab Idolorum cultu, nec à cętera ſcelerum ſœditate ſe reuocanti, S. F. Xauerius impendentem cæleſtem iram, quam paulo poſt regno, vitaque ſpoliatus ſenſit infelix, aperte liberèque denunciauit.

Manus ſcribentis in pariete.

Aſſyrius magna dum Rex epulatur in aula,
  Ebria Idumeas turba profanat opes.
Continuò delapſa apparuit æthere dextra,
  Quæ Regni, & Regis fata ſuprema tulit.
Fulminat in Regem Franciſcus funera voce,
  Et ſuperæ intentat bella cruenta manus.
Quod calamus dextrę, Aſſyrio quod litera Regi
  Hoc tibi Franciſci lingua, Tyranne, fuit.



BVNGVM. I.

In Iaponia.

Quo Regis Bungensis litteris humanitatis, & officij plenissimis S. F. Xauerius Amangucio euocatus, à Lusitanis in eius vrbis portu degentibus; ingenti cum gaudio,& gratulatione obuiam effusis, crebra bellicorum omnium tormentorum displosione salutatus est.

Bombarda.

Victrici cursu peragrans Orientis arenas
Xauerius, Bungi regia tecta subit.
Affusæ excipiunt circùm longo agmine turbæ,
Stillantem superum diuite ab ore melos:
Ignea cum subito centena per ora salutant
Aera, triumphantis fulgura prima Crucis;
Ilicet æternam cladem iam destinat Orco
Diuus, iam Diti fulminat igne caput.
Ceu quondã regnantẽ Orbi domiturus Erymnim
Accessit sparso victor in igne Deus.



In Iaponia.

Ad cuius Regem S.F.Xauerius cum Lusitanorum (qui summo omnium consensu decreuerunt è re Christiana fore si prima illa Euangelici præconis cum Ethnico Rege congressio dignitatis haberet plurimum, splendidissimo comitatus apparatuque magnificentissimo deduci se passus est.

Superpelliceum cum stola Sacerdotali, e Serico villoso viridi.

Pauperiem sacræ prætentus vestis inumbrat,
 Per quam lapsa humeris tænia longa fluit.
Squaloremq. tegens Regis se ad limina confert,
 A' quibus illuuies retulit acta pedem.
Vltima sic tandem ritus exuta profanos
 Induit ætherium Iaponis ora decus.
Nec semper superis errabit transfuga Regnis,
 Iam proculcatis religiosa Dijs.

BVNGVM. III.

In Iaponia.

Cuius Rex Christianæ fidei misterijs à S. F. Xauerio imbutus, cùm maximo semper eum in honore habuit, tùm in baptismo post eius obitum deinde suscepto, siue suæ erga illum venerationis memor, siue illi secundum Deum tantnm baptismi beneficium debere se testatus, non aliud quàm Francisci nomen induendum sibi putauit.

Corona Regia inuersa.

Quid tibi deuoueam dignum, cui militat æther,
Quem mare, quem tellus obsequiosa colit?
Regia gemmato cinxit quæ tempora textu,
Hæc iaceat sacros ante corona pedes.
Non tua terreno virtus bene cingitur auro,
Quæ proprium stellas in diadema vocat.




BVNGVM. IV.

In Iaponia.

Ad cuius Regem S.F. Xauerius à Goano Episcopo, Indiæque gubernatore munera detulit, regiæ dona munificentiæ ad se inuicem missa pro eximio suo in Euangelicam paupertatem amore, gratijs actis, recusauit.

Duæ manus, dextra aperta, sinistra clausa.

Prodiga diffundens Francisci munera dextra
Regibus ornandis officiosa patet.
Non hiat obrizo digitos compressa metallo,
Dum generosa leues altera spernit opes.
Plena sui temnit defossæ viscera terræ,
Hostilesque auro concipit illa minas.



B V N G V M. V.

In Iaponia.

Vbi S. F. Xauerius Fucarondonum Bonziorum doctissimum, certamine coram Rege inito, in arctum adduxit, conuicitque Christi fidem magis, magisque amplificauit.

Sinapis planta.

Læta fides laxis per purum surgit habenis,
Pensilibusque vmbram texit opaca comis;
Dum falx obstantes tenuat Xaueria vepres,
Et quos prætendit Bonzia turba Deos.
Sic tunicas rumpens contendit in astra Sinapis,
Hospitiumque auibus vertice densa parat.




BVNGVM. VI.

In Iaponia.

Vbi Squaygiranus Bonzius primarius eruditione iuxta, & nobilitate inclytus, cum S. F. Xauerio sæpius congressus, ad vltimum euictus rationibus, diuino instinctus numine propalam in medio foro maxima hominum frequentia procubuit in genua, & manus, oculosque ad cœlum tendens obortis lacrymis, quanta maximam potuit voce Iaponitas detestatus superstitiones, Iesu Christo se dedidit, dicauitque.

Follis lusorius.

Quo nisu leuiore volet, quo sidera follis
Inspiciat propius, contactu iungitur orbi
Terrarum, terras iactu contingit inertes:
Bonzius oppressum culparum pondere corpus
Demittit terris, animo super astra triumphat.



BVNGVM VII.

In Iaponia.

Vbi S. F. Xauerius præsentissimum vitæ discrimen à Bonzijs Christianæ religionis hostibus infensissimis imminens, vt erat non solum ad pericula interritus, sed etiã mortis pro Christo appetendæ percupidus, adduci numquam potuit, vt euitaret.

Incus.

In se descendit geminatis ictibus Incus,
Et firmat vires, quò mage tunsa, suas:
Talis Xauerio vis imperterrita cordi est,
Num pietas illic ex adamante riget?
Tunde minis, temnit: blãda prece tude; nec audit
Nequicquam vrgetur pectoris ille vigor.




BVNGVM. VIII.

In Iaponia.

Vnde S. F. Xauerius in Indiam reuertens, Sinensem tentaturus expeditionem, Matthæum, & Bernardum insigni virtute Neophytos, Iaponicæ specimen indolis Romã mittendos abduxit.

Palmes cum duobus magnis vuæ racemis.

Inclyta primæuos miratur Roma racemos,
Vltima, Xaueri, quos tibi terra tulit.
Pluimus Eoas suspirat cultor ad oras,
Nec timet irati prælia sæua maris.
Isacidum populos pingues illexit in agros
Sic olim in grauido palmite gemma rubens.
Iam Cœlo plenis spumat vindemia labris,
Barbarico multus dum fluit ense cruor.




OCEA-

OCEANVS IAPONICVS I.

Per quem S. F. Xauerius in Indiam renauigans, precibus, & nauim ingenti procella pene demersam periculo exemit, & scapham, quam fluctuum violentia tanto abstulit impetu, vt momento pene temporis omnium conspectum effugeret, recuperauit, filium ad matrem (hoc est scapham ad nauim) ante triduum rediturum vaticinatus.

Scapha.

Fluctibus auulsus cara de matre phaselus
 Cogitur incertas ire, redire vias.
Nec minus ipsa parens curarum fluctuat æstu,
 Ni properè abreptum pignus adesse canas.
Pignus adest, clamatq; neget maris vnda parentẽ
 Tu mihi, Xaueri, prouida mater eris.
Filius vt matri, tibi sic ego debeo vitam,
 Orbus, si genitrix me tenuisset, eram.



OCEANVS IAPONICVS. II.

In quo S. F. Xauerius eodem tempore, & naui, & scaphæ, quas diximus longissimo inter se dissitis interuallo præsens fuit, vtrique præsidio, vtique miraculo.

Perspicillia quidquid obiicitur multiplicantia.

Vt dolosa luce sensus vitra pellunt lynceos!
Cuncta vertit infideli lux repulsa imagine;
Vna res., & sese ocellis facta reddit multiplex,
Mentientis fucus artis, pellicit qui lumina.
Tibi lusit ars, remoti nempe quē tractus vident
Hospite atque vna fruuntur orbe totō dissiti,
An propiquū te negabit, Xaueri, Indus numini
Sede quē diuersa eūdē cernit, instar numinis?



OCEANVS IAPONICVS. III.

In quo S. F. Xauerius Saracenos duos, qui cum ſcapha, de qua commemoratum eſt, periclitati pariter fuerant. & ſeruati, ad Chriſti fidem tanto pellectos miraculo, piacularibus luſtrauit aquis, vt eidem ſecundum Deum, & corporum, & animorum ſalutem deberent.

Manipuli ſpicarum triticearum duo.

Hos tibi flauentes ſacrat, Franciſce, maniplos
Bina procelloſis eruta meſſis aquis.
O' noua laus! alijs multo verſata labore,
Spicea vix tandem germina fundit humus.
Arua tibi fundunt etiam Neptunia fruges,
Dum fluitat rapidis pulſa carina notis.
Fortile naufragium: damnatis vnde reſurgit
Certa ſalus, ſuperis ſedibus apta ſeges.
Debuit ô quantas malacia fundere fruges,
Talem ſi ſegetem ſæua procella tulit!



OCEANVS IAPONICVS· IV.

Quo ventis, & fluctibus adhuc exasperato, S. F. Xauerius diuino impellente spiritu, gubernatore nauis monito, vt vela impigrè expediret, mox subsecuturam prædixit tranquillitatem.

Alcyones.

Cum summo Alcyones suspendunt æquore nidũ.
Errantem pelago deuehit aura leuis:
Tunc taciti latè ridet pellacia ponti,
Nec ferus insanas proruit Eurus aquas:
Iam noua sedandis præsagia fluctibus extant,
Iam tacitum sternit mollior aura fretum.
Nimirum, Francisce, tuo præsagia verbo
Insunt, & timidas vox tua placat aquas.



SANCIANVS INSVLA. I.

Vbi S.F. Xauerius Malacæ obſidionem, quam Bungi in Iaponia Deo commonſtrante cognorat, & precibus ſoluerat, Iacobo Pereriæ veteri familiari vehementer de illa ſolicito, ſolutam, eiuſdem inſtinctu numinis, confirmauit.

Corona obſidionalis, non tamen è ſolo gramine, sed etiam lauro, & vario flore contexta.

Gramine cingebant vallo qui ſolueret vrbem
Perpeſſam hoſtiles obſidione moras.
Proſpicis armato tu moenia milite cingi,
Et ſoluis votis, atque ſoluta canis.
Vrbs tua pro triplici reddit tibi præmia laude,
Præmia quæ lauro, gramine, flore nitent.



OCEANVS SINENSIS. IV.

In quo S. F. Xauerius duarum nauium alteri, cum maxime procella fæuiret, falutem, alteri, naufragium prænunciauit.

Grues.

Æthereas refonante Grues clangore per auras
  Si ftrepuit, denfis imminet imber aquis.
At liquido tacitis fi lufit in aere pennis,
  Et lucent Soles, & fera cedit hyems;
Omine tu meliore doces à numine doctus,
  Illa quod & clangens, & taciturna monet.



OCEANVS SANCIANENSIS I.

Qui furioso quodam vento (Typhoni nomen est), & crebris naufragijs anteà infamis, ex quo tempore S. F. Xauerius sacris mysterijs inibi peractis, velut expiauit; adeo sedatus, placatusque est, vt Typhone fermè cessante, rarò admodum, & parcè sęuiat. Tantum seu S. viri pietas, seu Missæ sanctitas valuit.

Agnus.

Arrecta in vitreos spumabant æquora montes,
Miscebant rores nubila, & vnda suos.
Tu trepido positis in litore protinùs aris,
Oceanum, & superos ad noua sacra vocas.
Dum sine cœde cadit cęsus, tamen integer, Agnus
Et maris edomitæ procubuere minæ,
Ecce truces placida compostas pace procellas,
Mitiaque Oceanus iam tibi monstra dicat.



In quo S. F. Xauerius nauim Iacobi Pereriæ, cui nomen sancta Crux, qua eorum vterque tum vehebatur, nonnisi senio, vbi ædificata fuerat, nempè in litore Cocinensi, soluendam prædixit, eaque vis prædictionis fuit, vt nauis illa quamuis vetusta, & cariosa xxx. fermè annos mira fiducia orientis maria peruolitauerit, haud certior in incolumitate sua, quàm in interitu, testis Sanctissimi Viri vaticinationis.

Nauis instructa velis.

I Nauis quò vela vocant, i cęrula verre,
Xauerij tecum diuino fama volabit
Remigio alarum, donec super æthera vectam
Te quoq; post funus cœlestibus inferat astris.



SINCAPVRANVS PORTVS.

Ad qnem S. F. Xauerius Iacobo Pereriæ ſolicito, ſuſpenſoque, ne idonea ad Indicum iter tempeſtate penè iam elapſa, vlla iam foret reliqua Malacæ nauis, quæ ſanctiſſimum, amiciſſimumque Virum in Indiam deportaret, regiam nauim, cui Antonius Pereria præfectus eſſet, erectis antennis, vnico rudenti, profectioni paratam, & triduum adhuc expectaturam, præſto ſibi Malacæ fore, eaque ſe tempeſtiuè Cocinum, vt in Europam quod opus eſſet præſcriberet, peruenturum eſſe prædixit.

Horologium rotatum.

Rotata tempus ritè ſueta metiri,
Solidum, & minutim diuidere diem, & vitam,
Moles, nota haud obſcura prouidæ mentis
Franciſce, nunc tuæ eſt. Etenim vbi Neptunus
Rector profundi ſenſit Entheas mentes,
Hanc tibi ego molem conſecro lubens, dixit,
Diuinæ prouidentis, ò Parens, curæ.
Edocta tempus, non tamen queat laudes,
Quas nulla metiantur ſecla, metiri.

In India.

Quo S. F. Xauerius vix è Iaponia redierat, cũ vnum è socijs, quem moribundum offendit; impositis capiti manibus, & consuetis eam in re ex Euangelio affatus verbis, velut à morte ad vitam mirabiliter reuocauit.

Horologium Ezechiæ.

Quid tibi consacrem dulci pro munere vitæ
Aptius? ò vitæ vita, decusque meæ.
Hæc fluxam produnt hominum solaria vitam,
Illa fluunt, vitæ & defluit omne decus.
Vtque nequit lapsos torrens reuocare liquores,
Sic neque præteritos hora referre dies.
Sed rerum natura tibi famulatur, & ordo,
Sponteque mors leges subijcit atra suas.
Tu mihi Sol verus: Te non absente ruebat,
Sed redit elapsus te veniente dies.



OCEANVS CEILANENSIS. II.

In quo S. F. Xauerius Sinas cum peteret, fœdam, atrocemque tempestatem sacris reliquijs linea suspensis, & in fluctus immersis sedauit:

Theca reliquiaria sine reliquijs.

Felices vndæ, quibus infrenare furorem,
Et cohibere animos lipsanotheca dedit!
Quàm facilè, ò Francisce, tuis, licet astra lacessat,
Reliquijs tumidi concidet ira maris?
Sectum auro labyrinthū ergo tibi dedico, poscūt
Sacra tui vacuæ corporis ossa vice.



n quo S. F. Xauerius cum graui lue vexari Malacam diuinitus cognouisset, à vectoribus repentè contendit, vt ei ciuitati præsentibus morbis oppressæ, Dei numen sollicita prece placarent.

Arcus intentus sagittam excussurus.

Fertilis in morbos contagia traxerat aer,
Sæuaque mors spolijs ibat onusta nouis.
Intentum fugiant, monuit Xauerius, arcum
In quos vertebat morbida tela lues.
Effugere: tibi neruos, & tela reponit
Mors, nisi tu reddas spicula, inermis erit.



OCEANVS CEILANENSIS. IV.

In quo S. F. Xauerius postquam sacrorum cinerum contactu tumidum mare deferbuisset, & commutata tempestate læta tranquillitas remeasset, nouum, & præterito maius instare periculum (quod in breuia, syrtesque mox illata carina sensit) admonitus ipse diuinitus, Nauarchum admonuit.

Bolis, funis volumini appensa.

Salis infidi mobile bellum,
Cœcam insanæ rabiem syrtis
Satis experti, te vate, Parens.
Tua iam tumidi domitor ponti,
Melior summo bolis è Cœlo
Scopulos nobis, & vada monstret:
Hæc felici tutela potest.
Nauim auspicio ferre per vndas
Ferre per hostes.



In aurea Cherſoneſo.

Vbi S.F. Xauerius,qui nunquam ad eam dum publicè ſe pro Apoſtolico Nuntio geſſerat, Aluaro Taidio Malacenſi Præfecto Sinenſem Euangelij cauſa ſuſceptam legationem impedienti, Pontificium diploma, quo Nuntius Apoſtolicus creabatur, & anathema grauiſſimum infligebatur ijs, qui ſuis in augẽdà religione conatibus obſtitiſſent, oſtendit; aſpernantique, ac pertinaciter in veſania hærenti ipſi, eiuſque adminiſtris, ac ſatellitibus, Pontificia auctoritate interdictum eſſe ſacris, pronuntiari curauit.

Virga ſuper quam ſit oculus.

Præſcia venturi vigili ſub lumine virga:
  Quam cernis, veras indicat illa minas.
Euentura tibi canit infortunia, rector:
  Improbe, cui ſtygio corda furore tument.
Dira vigil ſi non oculus ſatis arguit acta,
  Arguet at Diuo virga canente ſatis.

MALACA. XXVII.

In aurea Chersoneso.

Qua in vrbe S.F. Xauerius Gasparū Monden-in Sinas, quo cum Iacobus Pereria curatorem mercium suarum mittere constituerat, peruenturum non esse prædixit.

Bos oculis plenus.

Regna petituro Sinarum, Diue, per vndas,
  Obuia vaticina funera voce canis,
Nimirum ceu firmus eras Bos missus ab alto,
  Inculti vt coleres iugera longa soli.
Sed Bos milleno stellatus lumine vt esses,
  Tàm sudare Indis, quàm vigilare potes.



MALACA. XXVIII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. Franciſcus Xauerius dum à Malacenſis Præfecti, de quo dictum eſt, emiſſarijs, omni contumeliarum genere appeteretur, pro importuniſſimo homine ſacrum quotidie fecit, ne qui ſemel ruere cœperat, interiret.

Thuris planta.

Thus rapida tantum flamma cogente vaporat,
Cũ mage flãma furit, tùm mage creſcit odor.
Tu quoq; cũ magnis premeris ſæuæ ignibus iræ,
Tunc magis incendis ſydera celſa prece.
Sũt tibi thura preces, gemitus odor: adſita tẽplis
Quàm benè conſurget thurea planta tuis?



MALACA. XXIX.

In aurea Chersoneso.

Vbi S. Franciscus Xauerius pridie quàm in Sinas solueret, periculum quod illo ipso tempore Societas Iesu in Lusitania subibat animo cœlesti luce perfuso prospexit; & *Ignoscat tibi Deus: Ignoscat tibi Deus*, cum procellæ eius authorem ex nomine compellaret, ingeminauit.

Fides duæ.

Excipe concordi geminatas fœdere voces,
Et cythara resonans par ab vtraque melos.
Chordam si tangis, concors non tacta resultat
Altera ad alterius docta sonare sonum.
Dissita te spatijs talem concordia finxit,
Dum tua cognato corda dolore dolent.
Vsque adeò varijs terrarum, atque æquoris oris
Dissociata licet, pectora iungit amor.



MALACA. XXX.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi S. F. Xauerius, cum fracto legationis conſilio in Sinas nihilominus ire pergeret, in vrbis porta puluere de calceis, vt Chriſtus præcepit, excuſſo, Malacenſi Præfecto, & diuinam, quam non multo poſt grauiſſimam ſenſit, denunciauit vltionem; & ſceleris tamen pœnitentiam, quam morti propinquus oſtendit, ardentibus inter manantes lacrymas precibus, à Deo impetrauit.

Gladius olea implicitus.

Quam benè pacificæ Gladius ſociatur oliuæ?
Scilicet hæc mentis ſunt monumenta tuæ:
Nam velut horrendũ ruit in certamina fulmen,
Sed pia, dum ſęuit, dextera præbet opem.
Sic mitis iuſtas clementia temperat iras,
Vt prodeſſe magis, quàm nocuiſſe queas.
Mirari domitam ſe deſinat India: mirum eſt
Non cecidiſſe ambos ſub tua iura polos.

OCEANVS SANCIANENSIS. II.

In quo dubitanti nauarcho, ne fortè Sancianum Insulam præterijsset, & vela vlterius facere iam paranti liquidò S. F. Xauerius diuinitus edoctus confirmauit planè esse præteritam, & de scapha ad continentem explorandam missa solicito, intra duas horas redituram prædixit.

Radius latinus, instrumentum, quo Geometræ distantias metiuntur.

Arma Mathematico sunt hic fabricata camino,
Quæ fidè explorant certa interualla viarum.
Doctius at noster semotus corpore longe
A' lembo errantē prospexit in æquore lembū.
Vidit, & edixit terras, vbi Nautica funem
Confisus Cœlo tandem religaret amico:
Nimirum mentes metitur, & abdita rerum.



Ad Sinarum fines meridiem spectantes.

In qua S. F. Xauerius Petro Vellio veteri amico egregia eius in puellam, cuius pudorem inopia prodebat, permotus liberalitate, prædixit, nunquam Deum illi defuturum: insuper hoc daturum, vt supremum vitæ diem, ipso prænunciante, cognosceret.

Lucerna sepulcralis accensa:

Iam mersura diem mors importuna tenebris
Vrgebat miserum fata in amara senem.
Hunc vrges precibus, miseram soletur egentem,
Nubere pauperies quam malesuada vetat.
Soluitur in pretium, pretium nec fine coercet,
Et viduas arras, nubat vt illa, velit.
Illico succensus tantæ pietatis amore,
Vltima veridico carmine fata canis;
Lumine cœlesti, Francisce, an funera monstras
Ventura? an pietas nutrijt ipsa facem?

SANCIANVS INSVLA. III.

Ad Sinarum fines meridiem spectantes.

Vbi S. F. Xauerius in septem amicorum circulo, inter quos ipse quoque numerabatur, singulos intuitus, plerosque ex ijs intra annum morituros esse prædixit, atque inter hos ipse, cum alijs ex eo numero quatuor, fuit.

Lapis super quem septem oculi sint.

Quos vnus oculos fronte septenos lapis
  Sustinet eadem, numine
Mens plena vatis vidit olim; quos putes
  Vitæ indices mortalium.
At quos prius clausura fata sint, noue
  Videre nunc vates tuum est.



SANCIANVS INSVLA. III.

Ad Sinarum fines meridiem ſpectantes.

In qua puer vita functus, & ſepulturæ paratus, à S. F. Xauerio manu præhenſus, & ſurgere iuſſus, confeſtim ſurrexit, & in Societate Ieſu deindè Sacerdos fuit.

Leo qui catulum rugitu excitare dicitur.

Aſpicis vt vitæ vix hauſto lumine primo,
Terrifico catulos excitat ore Leo?
Is te, Xaueri, ſimulato emblemate, ſignat,
Ad vitam ſonitu, qui meliore vocas.
Hinc te terra ſibi longos expoſcit in annos,
Quos mors victa fugit, mortua vita redit.
Sed Leo tu meritis poſthac numerabere in aſtris,
Verior & ficti ſubſtituere loco.



SANCIANVS INSVLA. V.

Ad Sinarum fines meridiem ſpectantes.

In qua S. F. Xauerius, dum Saracenos, alioſque quamplures ab ſe inſtitutos cœleſti tingeret fonte, Luſitanis, qui eminùs rem ſpectabant, adeo viſus eſt inter omnes, eximia quamuis corporis magnitudine prœditos, eminere; vt admiratio dubitationem iniecerit, an Sacramentum illud è ſuggeſtu conferret: donec propiùs accedentes, ſimul repererunt eum ex æquo loco exercere baptiſmum, ſimul intellexerunt animi magnitudinem tantum eius adieciſſe corpori, vt humanæ magnitudinis formam excedere videretur.

Cupreſſus inter viburna.

Dum noua Xauerius luſtrali flumine merſat
Germina, tãtũ alios inter caput extulit omnes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
Scilicet aut ſublime tulit mens ardua corpus,
Aut, quibus in Cęlũ properato ſurgeret auctu,
Inuerſa hæc arbor cœleſtes ebibit vndas.

Ad Sinarum fines meridiem ſpectantes.

Vbi S. Franciſcus incredibili ardore agendi quamplurima, patiendique pro Chriſto, vt in continentem Sinarum acribus obſeptam cuſtodijs penetraret, & Euangelij gloriam in ampliſſimo regno longiſſimè, latiſſimèque proferret, nullis rerum difficultatibus ceſſit, nullis ſe vitæ periculis dubitauit obijcere.

Serpens caput reliqui corporis volumine obtegens.

Corpore vt in ſpiras acto caput abdidit anguis,
  Obijcit infeſtæ cætera membra neci.
Membra neci tua tu, Colubro ſolertior, offers,
  Vt ſerues pulcra nobile morte caput.
Dulce caput tibi Chriſtus erat, quod vt āpla Sinarū
  Regna colant, tibi mors viuere, vita mori eſt.
Nec fruſtra duro cecidiſti funere, viuens
  Sed caput en vita te meliore beat.

SANCIANVS INSVLA. VII.

Ad Sinarum fines meridiem spectantes.

Vbi S. Franciscus Xauerius hospitis sui nauim in alia Sinarum insula coemptam, quam ille præpropera Malacam discedendi festinatione, ipso etiam, cui intererat, sacri viri relicto sacro, non expectarat; iam aduentare; hospitem verò ipsum vitam Malacæ amissurum diuino admonitu, enunciauit.

Arca testamenti cum duobus Cherubim.

Abdita terrigenis Cœlorum arcana canentem
Gens olim dilecta Deo properabat ad Arcam:
Prisca Palæstinæ redeunt oracula gentis;
Xauerius Diuum interpres iam numine tactus
Euentura canit, cœcisque abstrusa tenebris
Euocat in lucem, panditque latentia fata,
Et maris, & mortis puppi, puppisque Magistr
Vaticinatur iter, magni noua numinis Arca



SANCIANVS INSVLA. VIII.

Ad Sinarum fines meridiem ſpectantes.

Vbi S. F. Xauerius pridiè, quàm excederet vita, Indum iuuenem, alterum è comitibus, quos aduexerat Goa, ſibi adſtantem, acribus intuens oculis, miſerabili voce ter ſucclamauit: *Væ tibi*: eaque triplici comminatione triplicem illi peſtem, coſcientiæ vulnus, corporis cladem, interitum animi (menſe enim vix interiecto miſer ille, ſui Patris inſtitutionis oblitus, cùm in omne nefas effuſis habenis rueret, repentè plumbea glande traiectus, infelicem efflauit animam) denunciauit.

Lanceæ tres,

Impius in Patrem dum campo exultat aperto
 Abſalon, & patriæ bella cruenta mouet.
En coma fatali ligno ſe ſponte maritat,
 Et dominum triplici cuſpide dura necat.
Tu quoque ter gemitu effuſo morientis ab ore,
 Ceu triplici enectus, perfide, morte cades.
Prima tibi vitam eripiet, regnum altera cœli,
 Vrendum in ſtygias tertia trudet aquas.
O quantũ hæc vox viuida erat metuẽda ſceleſtis,
 Fulmina quæ in ſontes vel moribunda iacit!
Tantum vnam Ioab triplicata cuſpide mortem,
 Hæc triplici gemitu funera terna dedit.

SANCIANVS INSVLA. IX.

Ad Sinarum fines meridiem ſpectantes.

In qua S. F. Xauerius & morbum, qui poſtremus illi fuit, & morbi incommoda æquiſſimo cum ferret animo, illud vnum ægrè ferebat, vulgari, communique ſe lethi genere in lectulo mori, ſibique optatiſſimam martyrij palmam è manibus quodammodo rapi.

Corona varijs contexta floribus, è qua Palmæ ramus emineat.

O' quæ Xauerio venis æthere lapſa corona,
Dic quos demiſit per fera bella neci?
Palma triumphales, cui nunc indicis honores,
Ingentis ne animæ prodigus ille fuit?
Prodigus ille fuit, qui palmæ haud defuit ipſe,
Palma ſed inuito defuit ipſa Duci.



SANCIANVS INSVLA. X.

ad Sinarum fines meridiem spectantes.

In qua S. F. Xauerius cùm & Goa digrediens præcognitam sibi imminentem tabernaculi sui depositionem amicis sæpius haud obscurè significasset, & non semel deinde diem, & horam sui è vita discessus prædixisset, subexcitato deserto in colle tugurio in summa rerum inopia, ad extremum vsque spiritum fortissimè cum morbo, ac morte luctatus IV. Non. Dec. Iesum, & Mariam ingeminans suauissimè obdormiuit in Domino.

Cygnus.

Candidus vt cygnus fatalis præscius horæ.
 Vaticino dulces eliquat ore sonos:
Sic domiti Christo spolijs orientis onustus,
 Extremam cecinit Diuus adesse diem.
Æger, inops, stipulas inter proiectus agrestes
 Vicina impauido funera corde citat.
Ille sed ad cantum vellet mitescere mortis,
 Sæuire hic rabidas ad sua vota manus.

SANCIANVS INSVLA XI.

Ad Sinarum fines meridiem ſpectantes.

Vbi in S. Franciſci Xauerij extincto corpore ea vultus hilaritas, is frontis nitor, ea ſpecies oris effulſit, facilè vt vitam ſentires in ipſo mortis regno triumphare.

Amaranthus :

Pectore ab extincto ſuaues quid ſpirat odores ?
Quodue nouum fundunt lumine clauſa iubar?
Haud aliter gratis Amaranthus odoribus halâs,
Secla perennato ceſpite vernus agit.
Ne qua ſacrum, Franciſce tibi contagia corpus
Contemerent, ſtabilî ſtant elementa fide.
Et ſeruata hominum tot millia, vt addita Cœlo
Perpetuum ſpondent ſidera clara diem.



SANCIANVS INSVLA. XII.

Ad Sinarum fines meridiem spectantes.

Vbi S. F. Xauerij corpus viua sepultum in calce, quo celeriùs ossa nuda, exesis acrimonia carnibus, deportarentur in Indiam, quartum post mensem non modo vnà cum Sacerdotali amictu, quo indutum erat nulla ex parte tabefacto, læsouè, sed suauem etiam afflans odorem, atque ita viuidum, ac si viuum esset, repertum est.

Calx.

Iussa tuum quondam calx rodere viua cadauer,
Abstinuit, moris non memor ipsa sui.
Quin vetuit complexa sacrum, venerataq; corpus,
Ne fluerent putri tabida membra situ.
Calx eadem saxis nunc interfusa perenni
Sacra tibi nexu templa dicanda liget.



MALACA. XXXI.

In aurea Chersoneso.

Quò deuectū S.F. Xauerij corpus, & maximo exceptum apparatu, cōtagio sam tota vrbe grassantem luem, quæ bonam Ciuitatis partem depopulata, terrore omnes percusserat, ita compressit, vt nemo integer, correptus deinceps ea fuerit, nemo anteà infectus mortem obierit.

Ara cum imposito Boue ad sacrificandum; Allusio ad sacrificium, quo Dauid pestilentiam à populo auertit.

Corpora dum soluit miserorum infusa per artus,
Exhauritque vrbem ciuibus atra lues.
Nostra in Xauerium spes inclinata recumbit,
Vrbsque sub hoc, clamat, funere vita latet.
Ergo vbi delatum stetit inter mœnia corpus,
Mors subitam, & pestes corripuere fugam.
Dignior haud ista submouit victima pestem,
Dauidiça quando concidit icta manu.

MALACA. XXXII.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi æger tacto S. F. Xauerij corpore, momento conualuit.

Petra, quæ virga tangatur, & aquas fundat.

Fœcundo ſilicem delibans verbere virgæ,
Sponte ſecuturas currere iuſſit aquas.
Hic tua dum tangit frigentia membra, ſalutis,
Queis merſet morbos, viua fluenta trahit.
Non miror fluuios duxiſſe è pumice Moſen,
Quem Deus ipſe alium iuſſerat eſſe Deum.
Sed quod vix Moſys tentata hæc audeat æger:
Et, quæ ſunt virgæ, dextera læſa queat.



MALACA. XXXIII.

In aurea Chersoneso.

Vbi è S. F. Xauerij corpore, post quintum ab obitu mensem prorsùs incorrupto, sed noui loculi breuitate nonnihil compresso, recens profluit sanguis, miram afflans odoris suauitatem, quem non tam sanguinis esse diceres, quam sanctitatis.

Balsami planta.

Æthereas latè fusus vitiauerat auras
Tæter odor, stygij quem vomuere lacus.
Protinus è casto pretiosa in balsama sanguis
Versus abit Diui corpore: gratus odor.
Morbida iam tellus, credo, potuisset, odorem
Talia ni tantum balsama fusa darent.



MALACA. XXXIV.

In aurea Cherſoneſo.

Vbi, & S. F. Xauerium menſe poſt obitum nono, eadem, qua antea, corporis integritate, odoriſque ſuauitate; & velum, quo facies eius erat obtecta recenti imbutum cruore, quem ſuperingeſta in humatione terra expreſſerat, reperere.

Cedrus.

Cedrus vt æterno foliorum effulget honore,
 Nec calidum ſydus, nec fera flabra timet;
Sic, Franciſce, tuum viget inuiolabile corpus,
 Viuidaque exuperat ſecula longa caro.
Ipſam illam veneratur humus, tantoque ſuperbit
 Pignore, & exhorret contemerare decus.
Quæ iuga perpetuo ſubijt cœleſtia viuens,
 Mortua non potuit terrea iura pati.



OCEANVS CEILANENSIS. V.

In quo cùm nauis quæ S. F. Xauerij corpus in Indiam vehebat, impacta scopulo, & in extremum esset discrimen adducta, vectoribus, nautisque ante venerandas reliquias in apertum prolatas, ardentes manu tenentibus cereos, & diuinam ab se iram effuso gemitu, deprecantibus, repentè scopulus ingenti cum fragore diffractus, nauim diu sustentatam, saluam, incolumenque, velut saltu elabentem mari reddidit.

Scopulus.

orrecto rupes procumbens plurimà dorso
Tardabat rapidas insidiosa rates.
æc vbi Xauerij deuectum puppe cadauer
Implicuit, centum laxat hiulca sinus.
cce patent aditus, dixit, sacraria ponti,
Et tibi sub famulis templa locamus aquis.
oc si fata negant, venio suspensa per vndas:
Fronte feram laudes saxea pilà tuas.



BATICALA. I.

In India.

Quo in oppido Maria Sarrana regij Procuratoris vxor, honesta fœmina Lusitana, cùm graui affecta morbo de S. Francisci Xauerij corpore illuc appulso cognouisset, è vestigio eò se deuehi iussit, eiusque piè ac fidenter ope implorata, protinus Sancti Viri deprecatione conualuit.

Serpens æneus hastæ impositus.

Anguineo quisquis fatum sub dente repostum
Senserat, & properans mortis adibat iter.
Ærato aspiciens serpentis ab ore salutem
Haurire, & pestem pellere corde potest.
Nostra quid antiquis assurgant tempora seclis?
Francisci extincto manat ab ore salus.



BATICALA. II.

In India:

Vbi frustulum limbi sacerdotalis chlamydis, quo S. F. Xauerij corpus indutum erat, & fœminæ in partu periclitanti, & pluribus alijs morborum conflictatis acerbitate, saluti fuit.

Sacerdotalis chlamys, siue Planeta.

Qui bifidæ limbus chlamydis tua funera texit,
Diue, fuit nostris quanta medela malis?
Vulnera cruda valent, it aquosus corpore läguor,
Dira cadit pestis, febris anhela fugit.
Quod tibi pro tali reddemus munere munus?
Pro limbo munus sit tibi tota chlamys.



GOA. IX.

In India.

Quam ad vrbem non ipſe modo S. F. Xauerius menſe poſt obitum ſextodecimo ſuauem ſpirans odorem, & eadem prorſus facie, habituque corporis, quo conſtabat eum fuiſſe, cùm viueret, carne ſucci plena, colore viuido inuentus eſt, vt ſopitum eum potius crederes, quàm extinctum: ſed carbaſina etiam veſtis, qua ille in Sinas eo conſilio delata, vt illa gentis more indutus, Sinarum Regem adiret, quia viuus nunquam erat vſus, pro ſubucula indutus eſt mortuus, adeò integra apparuit, ac munda, vt ſeruatam magis à corpore diceres, quàm vlla ex parte læſam.

Alba Sacerdotalis.

Quàm benè conueniunt, & in vna ſede morantur,
Imperiumque vnum, vitaque, morſque tenent?
Exanimi vitam præportat in ore cadauer,
Et caſſum vitæ munere ſpirat adhuc.
Pulla renideſcunt velantia carbaſa corpus,
Nec Pharia corpus merce, nec arte madens.
Scilicet, vt niuea ſpectandus veſte Sacerdos
Siſtat ſe templis ad noua ſacra tuis.


GOA. X.

In India.

Quam in vrbem S. F. Xauerij corpus effusas inter publicæ gratulationis, & lætitiæ significationes splendissimè instructa terra, marique pompa delatum est, quæ triumpho, quàm funeri similior fuit.

Cupressus laurea corona præcincta.

Vecta triumphali mirare cadauera pompa?
Et noua feralis serta cupressus habet.



G O A. X I.

In India.

Vbi Ioanna fœmina primaria ex diuturno morbo morti iam proxima, quo die S. Francifci corpus in eam vrbem delatum eft, fimul feſto campanarum fono, fimul fanctimoniæ, miraculorumque eius fama excita, cum à viro fuo Chriſtophoro Pereria, cœterifque qui aderant, illius vitæ iam propè deploratæ timentibus, impetrare non poffet, vt ad S. viri feretrum deportaretur, voto ipfo fubitam morbi leuationem, & priftinam mox valetudinem impetrauit.

Abfynthij planta.

Pocula ad Abfynthi feſtis libanda latinis
  Victorem excibat Martia Rôma Ducem,
Illa quidem veniunt labenti certa faluti
  Auxilia, & membris atræ venena fugant.
Sed tamen affixus linguam corrumpit amaror,
  Dumque malum pellit, mortibus ora trahit.
Aſt tua, quæ dulci perfufa abfynthia fucco,
  Diue, pio tantum corde petita iuuant.

GOA. XII.

In India.

Quam ad vrbem oneraria,quæ S. F. Corpus è Sanciano deuexerat, reddito sacro pignore, mercibusque leuata, veluti suo perfuncta iam munere, illico sua sponte, Cœlo, marique tranquillo demersa est: nemini vt ambigendi locum relinqueret, cur iam vetustate fatiscens, laxatis compagibus, fluctus inter, & scopulos, non ante sit mersa; sed omnes intelligerent suum ei pondus leuamini fuisse, & quasi vehiculo id quod vehebat.

Equus cum allusione ad Bucephalum qui non nisi Alexandrum ferre sustinuit.

Mergitur haud canis insultatura procellis
Puppis, nec merces transportatura fugaces
Posthac se Cœli contenta tulisse Quiritem:
Sic ab Alexãdro sonipes,qui flexus in orbẽ est,
Ille quidem didicit domini parere lupàtis
Vndarum, sternax terræque potentibus ante
Rectoris nullas cum non audiret habenas;
Postea non alium voluit deferre Magistrum.

GOA. XIII.

In India.

Vbi tanti omnium ordinum ad Sanctum S. F. Xauerij, visendum, venerandumque corpus, facti concursus, quantos nemo ante meminerat, vt cùm tres dies ampliùs, ac noctes omnium oculis expositum fuerit, videndi tamen sitis non expleri videndo, sed magis excitari videretur.

Apum examen floribus insidens.

Vos huc queis face lucifer
 Recente primis appetit;
Vos huc, qui viduum die
 Mundum occidenti cernitis;
Sacros instar apum pede
 Loculos adite præpeti
Longinquæ pretium viæ
 Fuerit amoris dulcia
Quiuis mella recolliget:
 Hæc ad remotas affatim
Vires, vt remeet plagas
 Dabunt, vetat at amor moras.

G O A. X I V.

In India.

Vbi feretro, in quo S. F. Xauerij corpus repositum erat, intra cancellos aduersus multitudinis impetum collocato; tanta vis populi sacras illas reliquias cominus videre, venerari, precatorijs rosarijs contingere, & aliquid inde religionis ergo surripere nitentis fuit, vt bis obiecta septa, bis perfregerit.

Cancelli marmorei.

Aggeribus ruptis vt spumeus irruit amnis,
Et secum indomito gurgite saxa rotat;
Sic dum turba ruit tumulo circumflua Diui
Frangit, & incursu lignea septa rapit:
Quæ nunc Memnonia dissecta è rupe reponit,
Vt reparet pietas quod pietate cadit.



GOA. XV.

In India.

Vbi Antonius è nobili Rodericiorum familia pituita adeo captus oculis, vt ne eos quidem, qui se propius assarentur, aspiceret, cùm ad S.F.Xaueri j corpus duci se iussisset, eius manu oculis admota suis, repente caligine excussa cernere cœpit.

Hirundo supra chelidoniam.

Perpetuò infelix vitam sub morte trahebat,
Si vita est, nunquam cui nitet orta dies.
Hunc dubia tenebras ne dextra exploret inertes,
Ad lucis fontem ducit amica manus.
Xauerium vt tetigit, se nox obducta resoluit,
Effusa in lacrymas nubila cœca fluunt.
Si qua luce caret chelidonia, diues hirundo est,
Et pullis visum colligit inde suis.



GOA. XVI.

In India.

Vbi Balthasar Diaz Sacerdos, cum ex angina, quæ fauces arctius instrinxerat, laboraret, nec in stomachum traijcere aliquid, ac deglutire iam posset; postulata claue loculi, vbi S. F. Xauerij corpus asseruabatur, eaque ipsa faucibus tactis, continuò concretis illis humoribus solutis, sanatus est: vt clauis illa Sancti viri beneficio obserata, gutturis claustra aperuisse videretur.

Clauis aurea.

Lurida quæ quondam claudens sacraria mortis,
  Sub se vitales clauis habebat opes.
Dum clausas aperit fauces, atque ostia vocis,
  Lethi etiam obducto limine clausit iter.
Hoc equidem tumulo velatam funere vitam
  Crediderim gazas deposuisse suas.



BATICALA. I.

In India.

Quo in oppido Maria Sarrana regij Procuratoris vxor, honesta fœmina Lusitana, cùm graui affecta morbo de S. Francisci Xauerij corpore illuc appulso cognouisset, è vestigio eò se deuehi iussit, eiusque piè ac fidenter ope implorata, protinus Sancti Viri deprecatione conualuit.

Serpens æneus hastæ impositus.

Anguineo quisquis fatum sub dente repostum
Senserat, & properans mortis adibat iter.
Ærato aspiciens serpentis ab ore salutem
Haurire, & pestem pellere corde potest.
Nostra quid antiquis assurgant tempora seclis?
Francisci extincto manat ab ore salus.



BATICALA. II.

In India:

Vbi frustulum limbi sacerdotalis chlamydis, quo S. F. Xauerij corpus indutum erat, & foeminæ in partu periclitanti, & pluribus alijs morborum conflictatis acerbitate, saluti fuit.

Sacerdotalis chlamys, siue Planeta.

Qui bifidæ limbus chlamydis tua funera texit,
Diue, fuit nostris quanta medela malis?
Vulnera cruda valent, it aquosus corpore lãguor,
Dira cadit pestis, febris anhela fugit.
Quod tibi pro tali reddemus munere munus?
Pro limbo munus sit tibi tota chlamys.



G O A. I X.

In India.

Quam ad vrbem non ipſe modo S. F. Xauerius menſe poſt obitum ſextodecimo ſuauem ſpirans odorem, & eadem prorſus facie, habituque corporis, quo conſtabat eum fuiſſe, cùm viueret, carne ſucci plena, colore viuido inuentus eſt, vt ſopitum eum potius crederes, quàm extinctum: ſed carbaſina etiam veſtis, qua ille in Sinas eo conſilio delata, vt illa gentis more indutus, Sinarum Regem adiret, quia viuus nunquam erat vſus, pro ſubucula indutus eſt mortuus, adeò integra apparuit, ac munda, vt ſeruatam magis à corpore diceres, quàm vlla ex parte læſam.

Alba Sacerdotalis.

Quàm benè conueniunt, & in vna ſede morantur,
  Imperiumque vnum, vitaque, morſque tenent?
Exanimi vitam præportat in ore cadauer,
  Et caſſum vitæ munere ſpirat adhuc.
Pulla renideſcunt velantia carbaſa corpus,
  Nec Pharia corpus merce, nec arte madens.
Scilicet, vt niuea ſpectandus veſte Sacerdos
  Siſtat ſe templis ad noua ſacra tuis.


G O A. X.

In India.

Quam in vrbem S. F. Xauerij corpus effusas inter publicæ gratulationis, & lætitiæ significationes ſplendiſſimè inſtructa terra, marique pompa delatum eſt, quæ triumpho, quàm funeri ſimilior fuit.

Cupreſſus laurea corona præcincta.

Vecta triumphali mirare cadauera pompa?
Et noua feralis ſerta cupreſſus habet.



GOA. XI.

In India.

Vbi Ioanna fœmina primaria ex diuturno morbo morti iam proxima, quo die S. Francisci corpus in eam vrbem delatum est, simul festo campanarum sono, simul sanctimoniæ, miraculorumque eius fama excita, cum à viro suo Christophoro Pereria, cœterisque qui aderant, illius vitæ iam propè deploratæ timentibus, impetrare non posset, vt ad S. viri feretrum deportaretur, voto ipso subitam morbi leuationem, & pristinam mox valetudinem impetrauit.

Absynthij planta.

Pocula ad Absynthi festis libanda latinis
  Victorem excibat Martia Roma Ducem,
Illa quidem veniunt labenti certa saluti
  Auxilia, & membris atra venena fugant.
Sed tamen affixus linguam corrumpit amaror,
  Dumque malum pellit, mortibus ora trahit.
Ast tua, quæ dulci perfusa absynthia succo,
  Diue, pio tantum corde petita iuuant.

GOA. XII.

In India.

Quam ad vrbem oneraria, quæ S. F. Corpus è Sanciano deuexerat, reddito sacro pignore, mercibusque leuata, veluti suo perfuncta iam munere, illico sua sponte, Cœlo, marique tranquillo demersa est: nemini vt ambigendi locum relinqueret, cur iam vetustate fatiscens, laxatis compagibus, fluctus inter, & scopulos, non ante sit mersa; sed omnes intelligerent suum ei pondus leuamini fuisse, & quasi vehiculo id quod vehebat.

Equus cum allusione ad Bucephalum qui non nisi Alexandrum ferre sustinuit.

Mergitur haud canis insultatura procellis
Puppis, nec merces transportatura fugaces
Posthac se Cœli contenta tulisse Quiritem:
Sic ab Alexãdro sonipes, qui flexus in orbẽ est,
Ille quidem didicit domini parere lupàtis
Vndarum, sternax terræque potentibus ante
Rectoris nullas cum non audiret habenas;
Postea non alium voluit deferre Magistrum.

GOA. XIII.

In India.

Vbi tanti omnium ordinum ad Sanctum S. F. Xauerij, visendum, venerandumque corpus, facti concursus, quantos nemo ante meminerat, vt cùm tres dies ampliùs, ac noctes omnium oculis expositum fuerit, videndi tamen sitis non expleri videndo, sed magis excitari videretur.

Apum examen floribus insidens.

Vos huc queis face lucifer
Recente primis appetit;
Vos huc, qui viduum die
Mundum occidenti cernitis;
Sacros instar apum pede
Loculos adite præpeti
Longinquæ pretium viæ
Fuerit amoris dulcia
Quiuis mella recolliget.
Hæc ad remotas affatim
Vires, vt remeet plagas
Dabunt; vetat at amor moras.

GOA. XIV.

In India.

Vbi feretro, in quo S. F. Xauerij corpus repositum erat, intra cancellos aduersus multitudinis impetum collocato; tanta vis populi sacras illas reliquias cominus videre, venerari, precatorijs rosarijs contingere, & aliquid inde religionis ergo surripere nitentis fuit, vt bis obiecta septa, bis perfregerit.

Cancelli marmorei.

Aggeribus ruptis vt spumeus irruit amnis,
Et secum indomito gurgite saxa rotat;
Sic dum turba ruit tumulo circumflua Diui
Frangit, & incursu lignea septa rapit:
Quæ nunc Memnonia dissecta è rupe reponit,
Vt reparet pietas quod pietate cadit.



GOA. XV.

In India.

Vbi Antonius è nobili Rodericiorum familia pituita adeo captus oculis, vt ne eos quidem, qui se propius affarentur, aspiceret, cùm ad S.F.Xaueri j corpus duci se iussisset, eius manu oculis admota suis, repente caligine excussa cernere cœpit.

Hirundo supra chelidoniam.

Perpetuò infelix vitam sub morte trahebat,
  Si vita est, nunquam cui nitet orta dies.
Hunc dubia tenebras ne dextra exploret inertes,
  Ad lucis fontem ducit amica manus.
Xauerium vt tetigit, se nox obducta resoluit,
  Effusa in lacrymas nubila cœca fluunt.
Si qua luce caret chelidonia, diues hirundo est,
  Et pullis visum colligit inde suis.



G O A, X V I.

In India.

Vbi Balthaſar Diaz Sacerdos, cum ex angina, quæ fauces arctius inſtrinxerat, laboraret, nec in ſtomachum traijcere aliquid, ac deglutire iam poſſet; poſtulata claue loculi, vbi S. F. Xauerij corpus aſſeruabatur, eaque ipſa faucibus tactis, continuò concretis illis humoribus ſolutis, ſanatus eſt: vt clauis illa Sancti viri beneficio obſerata, gutturis clauſtra aperuiſse videretur.

Clauis aurea.

Lurida quæ quondam claudens ſacraria mortis,
Sub ſe vitales clauis habebat opes.
Dum clauſas aperit fauces, atque oſtia vocis,
Lethi etiam obducto limine clauſit iter.
Hoc equidem tumulo velatam funere vitam
Crediderim gazas depoſuiſſe ſuas.



GOA. XVII.

In India.

Ibi cum ad S.F.Xauerij sepulcrum frequentibus concurreretur agminibus, afferrentur coronæ, quæ tumulum tangerent, florum spargerentur odores, & perpetuos in vsus luminis creber cereus incenderetur, illud admirabile contigit, quod cereus inibi accensus, haud amplius magnitudine cubiti, totos dies duodeuiginti, totasque noctes continenter arsit nullius adminiculo, nisi Dei, pabulum ad fulgorem subministrantis.

Cereorum fasciculus.

Ecce tui sacros referat qui pectoris æstus,
Et quam diuinus lampada nutrit amor:
Se depascens, sibi nutrimenta ministrat
Ignis, ab interitu viuit & ipse suo.
Talis flamma tuum lambens innoxia pectus
Crescit, & intactas pectoris auget opes.

GOA. XVIII.

In India.

Vbi ſtudia populi, & hominum teſtificatio-nes de ſpectatiſſima S. F. Xauerij integri-tate corporis, & animi ſanctitate, prodi-gijs alijs diuina vis plurimis, præſertim in ægrotorum redonanda ſalute, quam ad e-ius corporis tactum recuperauere complu-res, affirmauit.

Pyramis.

Geſta hoc breui recenſet
Immortalia marmore
Goa gentis vrbs remotæ
Princeps Xaueri memor.
Non impetet vetuſtas
Iſthæc morſibus inuidis:
Sed quæ loquantur olim
Xaueri merita inclyta,
Æterna non malignis
Scalpet ſymbola dentibus.

B A Z A I N V M. I I.

In India.

bi paucis S. F. Xauerij capillis in lipſanotheca religiosè aſſeruatis extremo duarum fœminarum vitæ periculo, in quod eas pariendi difficultas adduxerat, itum eſt obuiam.

Libra in cuius altera lance cæſaries, in altera ſicli.

Alluſio ad capillos Abſalon.

gia Cæſaries, criniſque plicatilis aurum,
Fatalis domino pompa doloſa ſuo.
ſciſſa ingenti ſiclorum pondere vænit,
Addenda Iſacidis merx pretioſa comis.
Diui ſudore graues, & puluere crines
Pleni operũ, proprio è pondere pondus habẽt.
tibi blanditur tellus mage læta capillis
Quam Berenicea ſydera Cæſarie.
captiua fremit mors; at captiuus ab illis
n mortem Iſacides pendula præda ruit.

IAPONIA.

In qua relictum à S. P. Xauerio Romanum Breuiarium, complures à Dæmone obsessos, statim atque illorum capiti impositum est, importuno liberauit obsessore.

Gallus.

Si forte cucurire basiliscus sono
  Gallum sueto exaudijt,
Diademate aureum fulgidus quamuis caput
  Fuga illico se proripit.
Francisce, licet exanimis, horrificos sacrum
  Volumen animas in sonos;
Et impiatos noctis æternæ Duces
  Specubus coerces pristinis:
Vt nempe pulsis Tartari vmbris, ne tibi
  Diem, Iapon, metuas rapi.



EBO-


EBORA.

In Lusitania.

uam in vrbem perlatæ de S. F. Xauerij obitu, ac miraculis litteræ, Sacerdotes è religiosa familia duos, quos grauis vrgebat febris, ad recuperandæ spem valetudinis erexerunt: tum eius nomen piè appellatum, & fidenter imploratum auxilium, continuò non febrim modo vtrique abstulit, sed vires etiam pristinas reddidit.

Missale Romanum.

eritum, Francisce, tuum iam senserat orbis,
Quem vitæ pignus credidit esse suæ.
poscit febri languens in vota Sacerdos,
xtemplo attonito è corpore febris abit.
lica quid poterunt sacris vota eruta chartis,
riuatæ tantum si potuere preces? (pellent,
icet hæc febrim, morbi hæc genus omne re-
Vinci mors leges flebit, & ipsa, suas.



LV-

Vbi cum per id tempus, quò de S. F. Xauerij obitu primùm auditum eſt, vir honeſtus, ac pius vxorem expertus labore moribundam, deſperata à medicis valetudine, ad eius implorandam opem eſset hortatus, paruit illa impenſè monenti viro, ſtatimque incolumis facili, felicique partu enixa fœtum, à præſentis mortis periculo, vnà cum prole vindicata eſt.

Semperuiuum ſuper ſepulcrum.

Lumina vicina miſeræ iam morte natabant,
 Et fætu ſtabat commoribunda parens.
Ecce tuus, Franciſce, obitus defertur ad aures,
 Continuo ambobus vita reducta redit.
Vincere quas mortis te non potuiſſe putemus
 Iras, viuendo, ſi moriendo potes?
Viua igitnr ſemper tumulo decus augeat herba,
 Et vitam in tumulo monſtret ineſſe tuo.



In Lusitania.

nde Ioannes Rex illustria S. F. Xauerij facinora, miraculaque sedulè per Indiæ Proregem conquisita, & in publicas relata tabulas, Romam ad legatum suum misit, vt referendi in sanctorum numerum tanti viri procurationem, causamque sustineret, & eam strenuè apud Pontificem ageret.

Ara cum imposita lignorum strue:

agne Parēs, supremi interpres magne Tonātis,
Terrarum cui regna procumbunt.
pretiosa pio Pantheæ munera syluæ
In meritos sacramus honores;
ggesta strue; Xauerio. Tu, maxima pandis
Ætherei qui iura Senatus,
lenni indicto cultu, magnoque triumpho
Optatam aris suggere flammam.



SINENSE REGNVM.

In quod acerrimis vndique ſeptum, munitumque cuſtodijs S. F. Xauerius aditum fidei, et religioni, quem aperire viuus fruſtra tentarat; mortuus tandem, ſuis apud Deum precibus patefecit.

Portarum clauſtra duo:

Dulce tibi varios Franciſce euoluere caſus,
Clauſtra meæ poſſes & reſerare plagæ.
Ecce patent:& quod per mille pericula quondam
Viuus non poteras, mortuus ecce potes.
Non perijt virtus, duri periere labores,
Illa etiam moriens viua per ora volat:
Clauſa igitur quondã fidei, nunc obuia clauſtra,
Obfirment ſacras non moritura fores.



quo cum Lusitanus Myoparo in Olandam onerariam, quæ plenis in eum velis ferebatur, dextrum S. F. Xauerij brachium, quod Romam transmittendum Goa aduehebat, deuocatis Sancti Viri de Cœlo precibus, extulisset, illa simul vento, quo secundissimo vtebatur, simul spe potiundæ prædę protinus destituta medijs velut defixa in vndis obtorpuit.

Brachium dextrum in vexillo albo.

...ta per æquoreos ibat ratis impia fluctus,
Remorum implebat ventus, & vnda vices.
...ri dira fames ventos è puppe citabat,
Atque animo voluens furta nefanda furor.
...m subito in fluctu pendens, & mole sua stans
Xauerium obsessæ sensit adesse rati.
...sius hoc dextræ munus, cui tendere contrà
Non hominum vis, non ventus, & vnda potest.



ROMA VI.

Vbi in templo Societatis Iesu egregio Farnesianæ munificentiæ monumento, dextrum S.F. Xaueri j brachium, præter cætera miracula, tot hominum millibus salutari vnda lustratis inclytum, piè, ac religiosè asseruatur, & colitur.

Globus terrestris super quem sit Circinus apertus.

Xauerius magnum amplectens est Circinus orbē,
  Et par ingenti creditur ille Globo.
Hesperiam peragrat, semotos visit & Indos,
  Seque latere vno posse sub axe negat.
Ostendit terris animos, extinctus eosdem,
  Nec potis est vna delituisse plaga.
Roma sibi partem, partem Goa præripit, ille
  Occupat Eoas, Hesperiasque plagas.
Par micat vtrisque: & solem dispergit: eodem
  Haud potuit Cœlo posthuma flamma capi.





NOmina fatum, & cætera similia poeticè posita esse Auctor protestatur; & errores corrigendos oculis lectorum relinquit.



TOPOGRAPHICA XAVERII PEREGRINATIO.

INDEX REGIONVM SIVE LOCORVM.

Goa

F I N I S.



INDEX SYMBOLORVM.

LAVS DEO.













